יהוה



[redacted]

C. F. A. FRITZSCHE,

PHILOS. DOCT. LL. ART. MAG. IN ACAD. LIPS. DOCT. PRIVAT. AD AEDI D. PAULI CONCION. VESPERT.

DE NONNULLIS POSTERIORIS PAULI AD CORINTHIOS EPISTOLAE LOCIS DISSERTATIONES DUAE.

INTERIECTAE SUNT, QUIBUS UNIVERSA LOCORUM GENERA COMPREHENDANTUR, QUAESTIONES GRAMMATICAE.

LIPSIAE

PROSTAT APUD C. H. RECLAM.

MDCCCXXIV.

Non, si non potuero indagare, eo ero tardior; sed velocior ideo, si quivero.

Varro de ling. lat. l. IV.

PROOEMIUM.

Quam ante hos quatuor menses conscripto libello academico exorsus sum de quibusdam posterioris Pauli ad Corinthios epistolae locis disputationem, eam, quoniam per angustos eiusmodi commentarii cancellos non nisi pauca, quae post doctam Emmerlingii diligentiam novo auxilio indigere viderentur, eius epistolae loca amplecti posset, uti mox ulterius adiecto alio exigui ambitus volumine me persecuturum promisi, ita datam tunc liberaturus fidem sic iam novo libro auctam exhibeo, ut utrumque una mei vel ingenii, vel industriae qualecunque testimonium simul publici iuris faciam, simul doctorum

virorum modeste submittam iudicio. Quibus quemadmodum, quid praestiterim, lubenter cedo decernendi officium, ita, quid praestare voluerim, ut strictim nunc dicerem, mihi reservavi. Nam ne de omnibus, quae impeditiora merito existimantur, explicarem locis, cum summa eorum in hac epistola frequentia, tum haec nonnullorum obstitit indoles, qua difficillimum quodque pertractata demum tota sectione in certa licet luce ponere. Quare et maximam Capitis quinti partem, quae accuratam explicationem minime repudiaverit, intactam reliqui, et plura alia loca silentio transii, vel in perpetua utriusque Pauli ad Corinthios epistolae enarratione, quam aliquando fortasse, si Deus O. M. consilio meo annuerit, promam, uberius explananda, vel, si hoc disputandi genus viris doctis non displicuerit, simili huic libro dissertatione illustranda. Ha-

bent enim huiuscemodi disputationes hoc prae perpetuis commentariis commoditatis, quod et ubertatem recipiunt, et ad vicina vel loca, vel dicendi genera cum voluptate exspatiandi licentiam concedunt. Qua ego sic usus sum venia, ut cum de aliis N. T., maxime paullinis, locis per occasionem tractarem, tum grammaticam N. T., cuius nuper firma iecit Winerus, Vir S. V., fundamenta, pro tenui virium modulo eo adiuvare conarer, quod, et quae ille minus vere interdum contendere visus esset, ingenue dicerem, et ubi de aliqua dictione meam quandam firmari posse confiderem sententiam, eam interiectis subinde quaestionibus grammaticis proponerem. Quas qui ad alteram dissertationem reiectas omnes mirabitur, eum consilio id factum monere volo. Nam praeterquam quod priorem paucarum tantummodo plagularum libellum iis onerare nolui, satius

videbatur, per aliquot menses iterum iterumque eas examinare, et, unde plura iis praesidia peterem, circumspicere. Idque tanto rectius, quod ex his speciminis loco evulgatis animadversionibus iudicare volo viros doctos, num operae sim pretium facturus, si ea dicendi genera, quae maxime in N. T. offendunt, uberioribus, quarum partim iam literis consignatas, partim animo tantum descriptas, habeo, disceptationibus singulari Meletematum grammaticorum in N. T. libro explanem. Sed quae ego posterioris ad Corinthios epistolae meo qualicunque subieci examini, loca, eorum, missis, quoniam non tironibus scripsi, de quibus vel vulgo constet, vel inter doctissimum quemque una sit sententia, rebus, ita promovere intellectum studui, ut, quae re vera difficilia accidissent, dilucidarem, aliarum autem sententiarum fautores, obliteratis, quos parum vel

sui, vel sinceri habere cognovissem, v. c. Leunio atque Royaardsio, paucos eosdemque probatos afferrem. Quod autem Viros de N. T. explicatione optime meritos, Emmerlingium, Kuinoelium, Schottum, Wahlium, Winerum, alios, acriter interdum impugnavi, id neque invidia feci, neque aliqua ingenii ferocia. Nam quemadmodum qui adversariis septum se viderit, et sui castelli infirmitatem animadverterit facilius, et cautius suum ubique locum communiverit, ita mihi ea, quae in exponendis libris divinis versatur, sic comparata esse videtur disciplina, ut vel acribus tantummodo disputationibus ipsa perfici, vel gravibus inimicitiis h. e. quae falsa visa fuerint, sine partium studio reprehendendo, quae veritati propiora, mente ab omni haesitatione vacua proferendo, ad diuturnam pacem h. e. summum consensum adducere possit discordia distractum Christianorum coetum. Unde quod in

libellis ipsis, rebus quippe magis intentus, quam hominibus, facere omisi, hic semel declarasse satis habeo, virorum ceterorum cummaxime appellatorum magnam mihi esse venerationem, Wineri etiam pietatem. Hoc enim in hisce studiis inprimis usus olim sum praeceptore. Ceterum, quod restat, nihil magis Deum precor, quam ut neque hae lucubrationes omni bona fruge careant, et ipse summae, cui nunc ingemisco, omnium rerum egestati mox ereptus in ea constituar conditione, in qua, quo nihil cupio vehementius, vel vitae plus prodesse possim, vel literis!

Scribebam Lipsiae, ipsis Calendis Mart. MDCCCXXIV.

VIRIS VENERANDIS

CHRISTIANO FRIDERICO FRITZSCHE

THEOL. DOCT. AD AEDEM ARCIS DOBRILUC. PAST. EPHORIAE DOBRILUC. SUPERINT. SOCIET. LITER. GORLIT. SODALI

ET

CAROLO FRIDERICO BRESCIO

REGIMINIS FRANCOFURTANI CONSILIARIO ECCLESIASTICO, SUPERINT. LUBB. GENERALI etc. etc.

HUNC LIBELLUM TANQUAM PIETATIS SUAE DOCUMENTUM SACRUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Cum ad severam Theologiae disciplinam me contulissem, hunc semper tenendum putavi studiorum meorum cursum, ut, quantum otii Theologiam systematicam et historicam accuratius cognoscendi necessitas mihi concessisset, id in libris sacris, adhibitis maxime in hunc finem veterum versionibus atque commentariis, totum consumerem. Quapropter hac scribendi opportunitate oblata animus fuit de ratione, quae intercedat inter versiones N. T. latinas ante Hieronymum concinnatas et vulgatam uberius exponere. Sed cum aliquanto post animadvertissem, requirere hanc disputationem plura verba, quam quae in arctos huiusce libelli limites commode cogantur, reiecto hoc in aliud tempus consilio de nonnullis locis posterioris Pauli ad Corinthios epistolae disserere constitui. In quod argumentum qua re inciderim et quomodo in eo versandum esse mihi existimaverim, paucis nunc liceat praefari. Scilicet cum ceterarum epistolarum paulinarum lectio me aliquamdiu ab hac ipsa epistola sevocasset, elegans, quem Emmerlingius, vir doctissimus, in lucem nu-

perrime emisit, Commentarius, ut ad eam redirem, effecit, non magis, ut, quid ille ad promovendam huius neglectae prae ceteris a viris doctis epistolae explicationem attulisset, cognoscerem, quam, ut, qualia illa essent, quae aliquando de multis eius locis temere in chartam conieceram, viderem. Ubi quamquam Emmerlingium in plerisque locis eas elegisse explicationes, quas non possem non probare, intellexi, non pauca tamen loca restabant, in quibus vel me meam quandam rationem inire recte posse confiderem, vel ab Emmerlingio certe discedendum esse viderem. Itaque ex hoc utroque genere pauca in hoc libello delibavi, propediem, quae hic expromere non licuit, in alio libello prolaturus. Hanc autem ingressus sum explicationis viam, ut in iis, de quibus loquerer, locis, aversatus illorum speciosam sedulitatem, qui, dum res notissimas iterum decantant, sexcentos illos, qui de iis iam antea tractaverant, afferre, hanc vero solam doctrinam putant, nonnisi ea interpretarer, in quibus aliquid dubitationis residere videretur, et ubi alii citandi essent, paucissimos in medium produxisse satis haberem. Qua mea disputatione an aliquid effectum sit, decernere non meum est, sed virorum in hoc doctrinae genere exercitatorum.

CAP. I.

II Cor. 1, 8. καθ' ὑπερβολὴν ὑπὲρ δύναμιν. — II Cor. 1, 11. — II Cor. 1, 13. ἀλλ' ἢ ἃ ἀναγινώσκετε, ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε. II Cor. 2, 5. ἀλλ' ἀπὸ μέρους, ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ.

Verba II Cor. 1, 8. ὅτι καθ' ὑπερβολὴν ἐβαρήθημεν ὑπὲρ δύναμιν ita explicuerunt interpretes, ut haec (ὑπὲρ δύναμιν) illis (καθ' ὑπερβολήν) explicationis causa per aliquam appositionem addita summo consensu existimarent, in hoc uno diversi, quod alii (Krausius in Opusc. p. 97. Emmerlingius in Comment. ad h. l.) per negligentiam quotidiani sermonis, qui verba temere cumulat, sine vi adiecta, alii, et plerique quidem, perspicuitatis causa, ut sane idoneam vim habeant, eo sensu, quem Oecumenius ad h. l. his verbis bene expressit: μέγας, φησίν, (Apostolus) ἦν ὁ πειρασμὸς (καθ' ὑπερβολὴν) καὶ τὴν ἐμὴν ὑπερέβαινε δύναμιν (ὑπὲρ δύναμιν) posita arbitrarentur. Quam utramque sententiam etsi habent, quibus recte defendant, argumenta, alia tamen, aptior, nisi fallor, et iis, quae sequuntur accommodatior haec potest iniri interpretatio, ut καθ' ὑπερβολὴν ὑπὲρ δύναμιν in unam notionem coniungas, quo haec prodeat sententia: ita sum afflictus in Asia, ut calamitates vires meas *egregie superarent.* Cui explicationi

non video quid obstet, cum quam formulam Paulus Adverbii potestate cum Adiectivis, quorum ita vis augeatur, componere soleat (Rom. 7, 13. καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς, II Cor. 4, 17. καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον), eandem etiam cum alia formula (ὑπὲρ δύναμιν) quae vi Adverbii praedita est, recte coniungat, nisi forte hoc alicui displiceat, quod verbo ἐβαρήθημεν utraque formula seiuncta est. Sed primum quidem non paucos videas apud Griesbachium bonae notae Codices, qui ἐβαρήθημεν post verba ὑπὲρ δύναμιν positum exhibeant et Hieronymum afferre licet, qui in ep. ad Eph. T. IV. 354. non aliter verba collocat, sic vertens: — — de tribulatione nostra, quae facta est in Asia, qua *super modum super virtutem* aggravati sumus; qui etsi fortasse non eo valebunt, ut maiorem iis, quam ceteris subsidiis criticis fidem adiungas, hoc tamen liquido confirmant, fuisse iam antiquitus, qui v. καθ' ὑπερβ. ὑπ. δύναμιν arctissimo explicando coniungerent. Deinde quod in vulgata Scriptura καθ' ὑπερβ. et ὑπ. δύν. vocabulo ἐβαρήθημεν divulsa sunt, eo excusatur, quod Hyperbatorum, maxime in Particulis, exempla non rara sunt neque apud Graecos, neque apud Paulum ipsum. Quod ad Graecos attinet, quantopere graeci scriptores passim adverbia et particulas construendo distrahant, copiose illustravit Poppo ad Thuc. T. I. p. 300 sq. Similiter autem duo adverbia sensu coniuncta scriptura separantur Hom. Il. 17, 403. πολλὸν γὰρ ἀπάνευθε νεῶν μάρναντο θοάων. E nostro scriptore haec habeto: Rom. 5, 6. ἔτι cum fuisset cum v. ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν componendum (cf. v. 8.), in principio universae sententiae collocatum est: II Cor. 2, 1. πάλιν non ad ἐν λύπῃ, quibus verbis appositum est, sed

ad *ἐλθεῖν* pertinere videtur, quoniam, quantum quidem ex historia constet, prima vice non *ἐν λύπῃ* Corinthum pervenerat: I Thes. 2, 13. *παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ θεοῦ* disiecta sunt verba, quae ita se excipere oportuit *παραλ. παρ' ἡμ. λόγον ἀκ. τ. θ.* in quo eodem loco, ut obiter moneam, *ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν* post *λόγον θεοῦ* malim cum Syro ܡܠܬܐ ܕܐܠܗܐ ܘܗܘ ܒܟܠܡ ܡܫܬܡܠܝܐ ܒܟܘܢ ad *λόγον*, quam cum Koppio ad *θεοῦ* referre, primum, quod *λόγον* primarium hic est vocabulum, deinde quod hoc discrimen apud P. obtinere videtur, ut, ubi deum dicat operari inter homines, nunquam ponat Medium *ἐνεργεῖται se exserit*, sed semper Activum *ἐνεργεῖ* adiecto illo, quod efficiat *), contra Medium de rebus tantummodo adhibeat **). Male huc retuleris Iac. 3, 3. cum Syro, quem interpretes, quot-

*) I Cor. XII, 6 — *θεὸς ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν* Gal. III, 5. *ὁ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν.* Phil. II, 13. Ephes. I, 11., a quibus locis noli putare Gal. II, 8. recedere *ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς, ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη.* Nam *ὁ ἐνεργήσας εἰς τ. ἀποστ.* hic, ubi omnino impeditior est oratio, idem est, quod *ἐνεργήσας ἀποστολὴν εἰς τὴν περιτομήν*, quod e verbis sq. *ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη*, ubi merum Accusativum *ἀποστολήν* in mente fuisse Apostolo nemo dubitaverit, apparere videtur: qui effecit provinciam Iudaeis doctrinam div. annuntiandi *in Petro*, idem etiam *in me* ad gentiles evangelium perferendi munus. Malim enim Dativos *Πέτρῳ* et *ἐμοί* e Praepositione verbi *ἐν*, quam alias tamen repetit (I Cor. XII, 6.) aptos existimare, quam eos per *quod attinet ad* explicare.

**) II Thess. 2, 7. *τὸ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται.* Gal. V, 6. *πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη.* Rom. VII, 5. II Cor. IV, 12.

quot contuli, secuti sunt, τῶν ἵππων, tanquam alieno loco collocatum cum τὰ στόματα coniungens h. sensu: Equorum ori frena iniicimus. Nam pertinet ad τοὺς χαλινούς, quibus verbis praepositum est: equorum frena iniicimus ori sc. equorum. Frequenter enim Graeci praeponunt substantivo regenti suspensum alterum cum Articulo, veluti, ut primo quoque utar, Schol. ad Luc. Q. S. H. C. T. IV. p. 358. ed. Leh. πόλεμος ἁπάντων πατήρ). Τὸ τοῦ Ἐμπεδοκλέους νεῖκος φησίν, ἤτοι τῶν ἐναντίων τὴν μάχην. Cf. II Cor. 4, 15. Videlicet repeti τῶν ἵππων post τὰ στόματα minime necessarium fuit, ut quod modo praecessisset. Sed ut ad nostrum denique locum, unde huc profecti sumus, redeamus, videntur nostram explicationem verba sequentia ὥστε — — τοῦ ζῆν admodum iuvare. Etenim si calamitates *multum* Apostoli vires superare videbantur, consentaneum erat, Paulum de vita sua desperare (Theodoretus τοσοῦτος ἦν ὁ κίνδυνος, ὥστε ἀπρρήσαντας ἡμᾶς ἀπαγορεῦσαι καὶ τὸ ζῆν.): Paulum, inquam. Nam qui ἐξαπορηθῆναι sensu passivo (ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς ut nos desperaremur, καὶ τοῦ ζῆν etiam quod ad vitam attinet) explicant (ut Stolzius in vers. vern.), contorte facere nobis videntur, quod quemvis vel sensus optime docet. Transversos egerunt hos haud dubie v. sq. ἀλλὰ αὐτοὶ — ἐσχήκαμεν, quibus cum oppositionem aliquam contineri verba ἀλλὰ αὐτοί, quo Apost. se ipsum ad mortem quasi destinasse significaret, arguere viderentur, eam ita optime fieri censebant, si in antecedentibus alii homines de P. vita desperasse dicti essent. Sed ut hoc praeteream, non esse hanc iustam oppositionem, in qua qui Apostolo (αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς) opponantur, non diserte aliquo nomine appellatos videas, longe alia

est, si quid video, utriusque sententiae coniunctio. Ἀλλὰ h. l. non est opponentis, sed aliquid gravius, quam quod antea dictum erat, adiicientis, et sensus huc redit: calamitates in Asia egregie vires meas superarunt. Itaque iis non poteram non ad vitae desperationem adduci. Sed praeterquam quod *illae calamitates* me de vitae discrimine satis admonuerunt, *ipse* quoque morti me devovi, ut omnis mihi esset non in me, qui me morti consecravissem, sed in deo, qui mortuos in vitam revocare potest, vitae posita spes. Eundem sententiarum nexum sibi informaverat Syrus, qui verba *ὥστε — ἐσχήκαμεν* liberius ita convertit:
ܒܗ ܗܘ̇ܐ ܕܝܢ ܦܣܩܢ ܗܘܘ ܚܝ̈ܝܢ ܒܡܘܬܐ ܕܝܠܢ
ܗܠܝܢ ܡܛܠ ܡܘܬܐ܀

Mirum est, versum cap. I. undecimum neque illum ad structuram grammaticam impeditum, neque ad sententiam ita difficilem tantum negotium Jaspisio (in vers. lat. epp. N. T.) et Emmerlingio facessivisse, ut explicationem proferrent, quae minime vera esse potest. Uterque enim Genitivos absol. *συνυπουργούντων καὶ ὑμῶν* ad tempus praeteritum refert, ut novam sententiam efficiant, male per hos Genitivos iunctam antecedentibus (quare Emmerling. in Proleg. p. 27 iuncturis enuntiationum insolentioribus, quas multas in hac epistola animadvertisse sibi visus est *), annumerat) hoc

*) Iusto maiorem Emmerl. in Proleg. p. 26 sq. orationi huius epistolae invidiam conflavit, quod ostendere quoniam multorum verborum est, alio tempore demonstrare studebimus. Hic monuisse satis sit, E. in eo peccasse videri, quod ad

sensu: *precibus etiam pro me factis meam liberationem adiuvistis.* Quod si scripsit P., ut leges Grammaticae postulant, non fieri potest, ut ad aliud tempus, quam ad futurum, cum ad Fut. ῥύσεται pertineat, referatur, eum autem et has leges saepenumero construendo migrasse et ita perperam orationem interdum conformasse, ut, quae exprimere voluerit, ex ipsis verbis, nisi misere invertantur et contorqueantur, perspici nequeat, multorum est opinio non magis falsa, quam rectae epistolarum Pauli., quoniam interpretis libidini atque temeritati campum late patentem, ubi se exerceat, aperit, interpretationi perniciosa. Nunc tantum constitui, quam bene hic se locus habeat, si ad normam Grammatices exigatur, paucis ostendere. Postquam apost. v. 9. suam spem in deo potentissimo repositam esse se velle dixerat, v. 10, quod auxilium div. inter calamitates et expertus sit, atque etiamnum experiatur, se in posterum quoque sperare animo commotiori auxiliique div. sensu perfuso significat, ut mirum sit, E. l. l. ἐῤῥύσατο, ῥύεται, ῥύσεται ad Paranomasias, quibus ut aliquid interea *comminisceretur, sermonem*

elegantis Graecorum sermonis regulas nostram epistolam exegerit, non ad ceterarum P. epistolarum indolem iudicaverit. Alioquin enim vix talia scribere potuisset IV, 2. πᾶσα συνείδησις ἀνθρώπων pro συνείδησις πάντων ἀνθρώπων vocabulo πᾶσα alieno loco posito dictum esse, cum συνείδησις ἀνθρώπου nihil sit, nisi circumscriptio hominis, ut Rom. II, 9. πᾶσα ψυχὴ ἀνθρώπου, quod nemo unquam pro ψυχὴ παντὸς ἀνθρώπου positum esse credet. Alia deinde, quae prorsus singularia esse in hac epist. existimavit, etiam apud optimos Graecorum scriptores obvia esse considerare debebat, quod infra opportunitate oblata nonnullis exemplis docere conabimur.

tantummodo protraxerit Ap., referre potuisse. Participium συνυπουργούντων conditionem affert, qua in posterum quoque deum sibi adiumento futurum speret, quae haec est συνυπ. —— δεήσει, *si vos quoque precibus vestris me adiuvabitis*, quorum verborum neque collocatio, neque sententia offendere quemquam potest: non collocatio, ut cum Schulzio multisque aliis τῇ Artic. ante ὑπὲρ ponendus fuerit, cum ὑπὲρ ἡμῶν optime cum verbo συνυπουργούντων, quod ita *adiuvandi* notionem accipit, coniungantur: non sententia, quod quantam et Judaei posteriores *) et ecclesiae christianae conditores precibus vim et efficaciam tribuerint, tralatitium est **). Itaque recte P.

---

*) Vaiikra rabba s. 10. f. 153. תשובה עושה מחצה ותפלה עושה הכל׃ Orach Chajim n. 1. S. 4. גדול כוח התפלה אפילו לשנות הטבע ולהנצל מן הסכנה ולבטל הנגזר׃

**) Luc. XXII, 32. Ex epistolis P. cf. maxime Philem. v. 22, ex aliorum Apostolorum. I Petr. III, 12. Iac. V, 16 sq. πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη, ubi Partic. ἐνεργ., quemadmodum apud Graecos innumeris in locis (Herodot. IX, 2. ἔφασαν λέγοντες, Sophocl. Philoct. 413. οἴχεται θανών. Lucian de morte Peregrini τίνος αἰτίας ἕνεκεν ἐμβάλλει φέρων ἑαυτὸν εἰς τὸ πῦρ. cf. e N. T. Iac. 5, 1. κλαύσατε ὀλολύζοντες.) proxime ad ἰσχύει pertinere arbitror, ut notio verbi paulo fortior reddatur: *multum valent valentes h. e ita ut valeant, iusti preces.* Certe verborum collocatio huic explicationi non infesta est. Nam cum primariam vim inesse vellet Ap. in verbis πολὺ ἰσχύει, vocc. autem δέησις δικαίου non seiungi possent, non poterat nisi postremo in loco poni ἐνεργουμένη. Ceterum δέησις ἐνεργ. ne potest quidem neque *assiduas*, ut Vulgatus vult, neque *ardentes*, ut Pottus, Lutherum secutus, preces significare. Ac quemadmodum Vulgatus hic quod *forte* et quod *assiduum* est,

Corinthiorum preces salutem sibi apud deum procuraturas esse h. l. speravit. Verba seq. *ἵνα* —— *ὑπ. ἡμῶν*, quae interpretes satis exercuerunt, prout *ἐκ π. προσώπων* et *διὰ πολλῶν* explicabis, duobus modis interpretari poteris. Licet enim *ἐκ π. προσώπων* coniungere cum v. *εὐχαριστηθῇ* hoc sensu: ut beneficium in me collatum a multis hominibus (*πρόσωπον* enim constat facere Periphrasin hominis cf. Gesen. Lehrgeb. pag. 753 et Lobeck ad Phryn. Ecl. p. 380 infra) gratiarum actione celebretur, *διὰ πολλῶν* autem interpretari *multis verbis* (Hebr, 13, 22. *διὰ βραχέων ἐπέστειλα ὑμῖν*). In qua quidem explicatione mihi nihil displicet, quam quod non tam apta est ad P. disputationem commemoratio multis verbis agendarum gratiarum, quam vel omnino agendarum, vel a multis hominibus persolvendarum. Itaque propendet animus ad probandam alteram, qua *ἐκ π. προσώπων* ad *χάρισμα* et *διὰ πολλῶν* (per multos homines) re-

ita et alibi haec confuderunt Grammatici, ut in v. ἀδινός v. Buttm. Lexileg. pag. 204 — 210. Schleusneri autem explicatio *preces animo promto profusae* nititur hac Hesychii glossa: ἐνεργεῖν ἑτοίμως πράττειν, de qua tamen et an id h. l. pertineat, recte dubitaveris, et si vel maxime huc pertineret, omni vi careret. Apparet enim illum non significationem verbo insitam, sed sensum, quem putaret, nonnullis locis aptum expressisse. Nostram interpretationem fortasse iam Syrus iniit cum voc. ἐνεργουμένη in versione prorsus praetermittat ܟܕ ܗܘ ܡܬܥܕܪ ܫܠܛܢܗ ܕܬܘܠܐ ܐܝܟ ܕܙܕܝܩܐ ܡܛܠܬܗ ܚܝܠܗ. Schleusnerus cum scripsit (s. v. ἐνεργεῖν) Syro δέησις δικαίου ἐνεργουμένη *sunt preces a iusto profusae*, illum verbis ܐܝܟ sq. vocem δικαίου reddere non reputavit.

fertur ad εὐχαριστηθῇ, ut sensus nascatur hic: Si me adiuvetis precibus vestris eo consilio, ut, quod *per multos homines* (eorum preces) mihi collatum sit beneficium, pro eo *a multis* gratiae agantur deo. Non offendor collocatione verborum ἐκ π. προσώπων: quamquam, si accurate loqui voluisset, haec verba repetito articulo post χάρισμα (τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα τὸ ἐκ π. προσ.) ponere debuisset. Sed vide huiusmodi negligentiae exempla Soph. Oed. Col. 1446. μάτην γὰρ οὐδὲν ἀξίωμα δαιμόνων ἔχω φράσαι i. e. decretum, quod frustra sit: minime tamen huc pertinet Lucian. De conscr. Hist. p. 23; pertineret huc, si vera esset, ab Lehmanno posita, verborum interpunctio haec: — οὐκ εἰδότες, ὡς δυνάμει τινὰ προοίμιά ἐστι λεληθότα τοὺς πολλούς, ὡς ἐν ἄλλοις δείξομεν. qui Vir iam coniungat necesse est προοίμιά τινα δυνάμει praefationes *vi sua praefationes*, nexu omnino repugnante. Nam quid hoc est: *qui non praemittunt praefationes, ad Xenophontem provocant, ignari, praefationes, quae vere sint, vulgi animadversionem effugere?* Ita quod primarium est, δυνάμει προοίμιά ἐστι mire obscuraretur, quod minori cum vi dicitur, (λεληθότα τ. π.) emineret. Quin hic ἐστὶ in ἔστι mutato positoque post hoc ipsum verbum commate verus hic prodit sensus: *Qui Xenophontem afferunt, nesciunt, re vera praefationes quasdam adesse, quae sane vulgarem hominem praetereunt*, quae postrema acerbe eloquitur istos ipsos vulgaris esse farinae significans. Illum, quem dixi, morem tenuisse et Latinos, testificatur Tacitus, Hist. IV, 8. quomodo pessimis imperatoribus *sine fine dominationem*, ita quamvis egregiis modum libertatis placere. IV, 58. Militibus Romanis aut innocentiam

detis aut maturam et *sine noxa poenitentiam.* Vit Agric. VI, ipsum tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus *sub Nerone temporum,* quibus inertia pro sapientia fuit. Praeiverat ei Livius v. c. 24, 21: spes facta *ex pecunia regia largitionis.* Praeterea nostra explicatio non solum hanc virtutem habet, quod ita optime cohaeret versus, cum, si pro P. salute Corinthii deprecarentur, sane possent pro ea *multorum precibus* impetrata gratiae etiam agi *a multis,* sed inde etiam non parum accipit commendationis, quod talis sive subtilitas, sive cavillatio, sive verborum lusus, quo *multorum* notio hic urgetur (beneficium *multi* exorarunt a deo: *multi* quoque agendis gratiis celebrant) P. ingenio egregie respondet *), quod iam Syrus, egregius ille N. T. interpres, bene intellexit: ܕܢܗܘܐ ܡܘܗܒܬܗ ܕܠܘܬܢ ܒܬܘܬܐ
ܕܟܡܝܐ ܒܐܦܐ ܣܓܝܐܐ ܘܣܓܝܐܐ ܢܘܕܘܢ ܠܗ
ܥܠ ܐܦܝܢ܀

*) Rom. I, 28. *οὐκ ἐδοκίμασαν — ἀδόκιμον νοῦν* IV, 18. *παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι.* XI, 30. 31. I Cor. 15, 22. II Cor. 7, 10. *ἡ κατὰ θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται*, ubi male Emmerl., ut verborum lusum efficeret, *ἀμεταμέλητον* ad *μετάνοιαν* retulit: *salutarem poenitentiam, cuius neminem poenituerit.* Imo *ἀμεταμ.* ad *σωτηρίαν* pertinet, neque tam est lusus in verbis, quae non similem sonum habeant (*μετάνοιαν — ἀμεταμέλητον*), quam acrimonia in sententiis: *ἡ κατὰ θεὸν λύπη* poenitentiam efficit, quae gignit aliquid (regni Messiani felicitatem saepissime *σωτηρίας* vocabulo appellatam) cuius neminem poenituerit. Ceterum cf. Winerus in Grammat. des N. T. Sprachidioms pag. 134.

Miror, Emmerlingium ad locum II Cor. 1, 13. de Particulis ἀλλ' ἢ disputasse, cum aliud sequatur ἢ, ut duas hic diversas sententias distingui per particulas ἢ — ἢ, apertum sit: neque enim alia ad vos perscribimus, quam aut ea — aut ea, quae etc., quod cum alii, tum Zeunius ad Vig. p. 475 recte perspexerunt. At, inquis, hoc si verum esset, scripsisset Paulus ἀλλ' ἃ ἢ — ἢ καὶ. Quod vix crediderim. Nihil enim ista particularum traiectione est frequentius, velut in Platone Phaed. §. 98. Heind. τὴν τε κατὰ τὴν γυμναστικὴν καὶ τὴν ἰατρικὴν, ubi τε post κατὰ τὴν demum inseri debebat. Eandem rem habes apud Livium 32, 12: pars in fugam effusi sunt; pars, *quia magis* locus fugae deerat, quam quod animi satis esset ad pugnam, cum subtitissent etc. ubi *magis quia* exspectaveris. Quid quod in eadem Particula ita fit, ut in Luc. Pisc. p. 37. Cod. bonus affert lectionem Belino recte probatam: *μὴ οὕτω μανείην ἐγὼ, ἢ ὡς βλάσφημον εἰπεῖν τι ἢ σκαιόν.* Sed quoniam Emmerl. ad h. l. de particulis ἀλλ' ἢ agere placuit, ut suam quandam de earum ratione sententiam proponeret, nostrae nunc eam qualicunque censurae subiiciemus. Scilicet qui de significatione ἀλλ' ἢ particularum monerent, plures reperti sunt, ut Hemsterhus. ad Lucian. T. III. 376 ed. Lehm. Valkenar. ad Eurip. Hippol. pag. 922. Elmsl. ad Eur. Heracl. 426. Brunk. ad Sophocl. Electr. 874. al. Pauci contra harum particularum rationem pervestigare sunt conati, quorum sententias tripartito licet consideremus. Dissident enim inter se Zeunius ad Vig. p. 476, Emmerl. ad h. l. (cuius tamen sententiam iam pridem praeripuerat, sed nulla causa addita, Reitz. ad Lucian. T. IV. p. 711 ed. Lehm.) denique Hermannus ad Vig. p. 812, cui nuper oblo-

cutus est Lehmannus ad Lucian. T. IV. pag. 711. sed ita, ut neque, cur aliter sentiret, proferret, neque, quid ipse existimaret, aperiret. Ac primum quidem Zeunius eo delapsus est, ut ἀλλ' ἤ nihil esse, nisi ἄλλο ἤ, ut rectius scribatur ἄλλ' ἤ sibi persuaderet. At ne haec ita explicanda credas, moneris vel eo, quod ἀλλ' ἤ particulae perpetuo se proxime excipiunt. Solent enim Graeci scriptores ἄλλο ἤ nonnullis verbis disiungere, nisi quando iusta causa permoti coniungunt. Praeterea ut concedam, Zeunii rationem posse in quibusdam locis, ut Aristoph. Lysistr. 427 ποῖ δὲ σὺ βλέπεις οὐδὲν ποιῶν ἀλλ' ἢ καπηλεῖον σκοπῶν; locum habere, at in plerisque omnibus oratio, si ita distinguas, aut prorsus sensu carebit, aut laborabit inani eiusdem voculae repetitione. Prius illud valet cum de aliis, tum de his: τίνα ἄλλον ἔχουσι βοηθοῦντες ἐμοὶ, ἀλλ' ἢ ὀρθόν τε καὶ δίκαιον; et τίνος ἕνεκεν ἄν τις ζώῃ, ἀλλ' ἤ τοιούτων ἡδονῶν ἕνεκα; quorum in illo saltem ἄλλον, in hoc ἄλλου scribi oportebat. Hoc posterius autem cadit, ut hoc utar, in haec Platonis verba: οὐδὲν ἄλλο σκοπεῖν προςήκειν ἀνθρώπῳ, καὶ περὶ αὐτοῦ καὶ περὶ τῶν ἄλλων, ἀλλ' ἢ τὸ ἄριστον καὶ τὸ βέλτιστον, ubi cum iam praecesserit ἄλλο, quis adeo sit infacetus, ut ἄλλο sine ulla causa repetitum ferat? Ad prius illud genus adiicio etiam I Cor. 3, 5. Τίς οὖν ἐστι Παῦλος, τίς δὲ Ἀπολλὼς, ἀλλ' ἢ διάκονοι; quis enim dicat: quis est Paulus *aliud?* Ceterum hic Griesbachius induxit ἀλλ' ἤ particulas; iniuria, nisi fallor. Nam eiusmodi quidem voculas facilius detrahunt, quam addunt orationi librarii. Euripid. Electra V. 978 ἀλλ' ἢ τὸν αὐτὸν τῇδ' ὑποστήσω δόλον; nullo enim modo ἄλλο ἤ interrogandi vim habere potest: in qua causa dicunt Graeci ἄλλο τι ἤ.

Sequitur, ut de ratione ab Emmerl. inita videamus, qui quoniam iis, quae praemisit, reliqua superstruxit, ea quoque perstringere placet. Ac quod primo contendit, post *μᾶλλον, πλέον, ἄλλο* etc., cum plerumque *ἤ* adhibeatur, saepe etiam *ἀλλά* poni, magnopere vereor, ne falsum sit: non enim simpliciter dici licet *τοῦτο μεῖζον ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦτο*. Imo *ἀλλά*, quam habet adversandi vim, semper retineat necesse est. *Ἀλλά* si praecedit Comparativus, non ab eo pendet, sed a negatione, quae sive clarius, sive obscurius in antecedentibus latet. Thucyd. I, 83. *Ἔστιν ὁ πόλεμος οὐχ ὅπλων τὸ πλέον, ἀλλὰ δαπάνης.* Plato Prot. pag. 177, ad quem locum provocavit Emmerl. *ἔχετέ τι ἄλλο τέλος λέγειν, εἰς ὅ ἀποβλέψαντες αὐτὰ ἀγαθὰ καλεῖτε, ἀλλ' ἡδονάς τε καὶ λύπας*; negatio in interrogatione continetur. Hom. Il. 16, 62. *ἤτοι ἔφην γε οὐ πρὶν μηνιθμὸν καταπαυσέμεν, ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ νῆας ἐμὰς ἐφίκηται ἀϋτή τε πτόλεμός τε* ubi non a *πρὶν*, sed ab *οὐ* suspensum est *ἀλλά*. Quae repugnare videntur, omnia sunt talia, cuiusmodi Isocr. ad Nicocl. *Μᾶλλον αἱροῦνται συνεῖναι τοῖς ἐξαμαρτάνουσιν, ἄλλ' οὐ τοῖς ἀποτρέπουσι.* At ibi a se minime pendent *μᾶλλον — ἀλλὰ*, sed sententia haec est: malunt versari cum peccantibus, sed nolunt cum iis, qui absterrent. Sed *usu obvenisse et hoc* dicit Emmerl., ut, quamquam iam adsit comparationis nota, *ἤ* tamen insuper addatur; ut Xenoph. Hell. II, 1, 8. *ἡ δὲ κόρη ἐστὶ μακρότερον, ἢ χειρός*, quod imitatur Virgilius Aen. IV, 502, graviora timet, *quam morte* Sichaei. Hunc tamen loquendi usum in iustissimam suspicionem adduxit praestantissimus Hermannus in disputatione ad Soph. Antig. v. 1266. Itaque de hoc nolo pluribus. *Inde factum* (sic enim pergit Emmerl.)

ut *et* ἀλλ' ἢ *iunctim diceretur, idque si vel praecesserit* ἄλλος, *quamquam alterutro careri possit.* Ita cum 2 Cor. 1, 13. aeque strui potuerit οὐ γὰρ ἄλλα — ἀλλά et οὐ γὰρ ἄλλα — ἤ, utramque structuram coaluisse. Ne haec quidem vera esse videntur. Nam primum quidem demonstrare debebat ἀλλά et ἤ prorsus idem valere, quae ita diversa esse nemo negare potest, ut ἀλλά vim habeat adversandi, ἤ comparationi obscurius subinde expressae subiiciatur. Quapropter Emmerl. si ἀλλ' ἤ ita usurpari solere affirmaret, ut ἀλλά e praecedente negatione ἤ ex ἄλλο aptum sit, aliquid dicere videretur, nisi loci innumeri, ubi partic. ἀλλ' ἤ simplex praegreditur negatio, repugnarent. Deinde etiam hoc declarandum erat Emmerlingio, talem Pleonasmum non modo in ἀλλ' ἤ, sed in ulla alia Graeca formula esse adscitum, qui quidem tam est intolerabilis, quam qui maxime. Nam, quamquam multa plenius dicuntur apud veteres, duo tamen vocabula, quae prorsus idem significent, componere, id abhorret ab eorum elegantia. Sed mittimus Emmerlingii sententiam, postquam pauca de ratione, qua explicuit Luc. 12, 52. Δοκεῖτε, ὅτι εἰρήνην παρεγενόμην δοῦναι ἐν τῇ γῇ; οὐχὶ, λέγω ὑμῖν, ἀλλ' ἢ διαμερισμόν, diximus. Ex οὐχί repetendum esse οὐδέν putavit. Perperam, si quid video. Etenim isthic cum οὐχί tanquam per se plena negatio recte a sequentibus λέγω ὑμῖν commate seiungatur, qui ad sequentia ἀλλ' ἢ διαμερισμόν opinatur οὐδέν ex οὐχί eliciendum esse, is iuxta fallitur, ac si quis, in latinis scriptoribus e praegresso *minime* velit *nihil* ad sequentia cogitando adiicere.

Restat, ut de ea explicatione ἀλλ' ἤ particularum, quam summus Hermannus proposuit, nonnulla adiiciamus. Scripsit autem vir egregius in

Annotat. ad Vig. p. 812. verissime haec: *Debet autem*, inquit, *ita hoc οὐκ — ἀλλ' ἢ explicari, ut omissum statuatur aliud membrum, per ἢ cum priori coniungendum, quod quare omittatur, causa aperta est. Est enim haec, quia, quid dicas, nescire te sentis.* Οὐδὲν Ἀργεῖοι, ἀλλ' ἢ κατεγέλων i. e. ἀλλ' ἢ κατεγέλων, ἢ οὐκ οἶδ' ὅτι ἐποίουν. Quae explicatio ita est plana, ita simplex, ita rei naturae accommodata, ut placere omnibus debeat. Quibus displicuit, ii haud dubie eo errore tenebantur, quod Hermannum partic. usum explicare voluisse rati sunt, ut scriptor, ubicunque hac formula uteretur, claram alterius enuntiationis oppositionem in animo habuerit. At voluit originem harum particularum explicare, ut satis ostendunt haec eius verba: *ἀλλ' ἢ significat nisi, praeterquam: debet autem ita explicari* etc. Videtur autem ad stabiliendam H. sententiam non parum conferre, quod multa sunt apud veteres loca, ubi duplex post ἀλλ' ἢ enuntiatio plene adsit, velut Theognid. 485. Μὴ πῖν' οἶνον ὑπερβολάδην· ἀλλ' ἢ πρὶν μεθύειν, ἐπανίστασο, ἢ παρεὼν μὴ πῖνε. Alia attulit Zeunius ad Vig. p. 475. Neque desunt loca, in quibus aperta insit Aposiopesis, per quam altera enuntiatio reticeatur, velut Aeschyl. Agam. v. 506. Ἀλλ' ἢ τὸ χαίρειν μᾶλλον ἐκβάξει λέγων· — τὸν ἀντίον δὲ τοῖσδ' ἀποστέργω λόγον. Accedit, quod Graeci alibi quoque alteram membri disiunctivi partem mente comprehensam omittunt, ut Lucian. Dial. Deor. 14. 1. Σὺ δὲ τί δυστυχεῖς; ἢ τὸ κατὰ τὴν Δάφνην σε λυπεῖ ἔτι; plene: Quid tibi accidit? *Utrum te aliud pungit*, an Daphnes infortunium? Quod loquendi genus docte ad h. l. persecutus est Lehmannus.

II Cor. 2, 5. fuerunt, qui deleto Commate post ἐπιβαρῶ coniunctis verbis ἵνα —— ὑμᾶς ita explicarent: *Incestus ille* (I Cor. 5.) mihi tristitiam creavit, sed nec solus, nec praecipue (ἀλλ' ἀπὸ μέρους). Nam vos omnes, dum officio vestro defuistis, dolendi materiam mihi praebuistis (ἵνα — πάντας ὑμᾶς) (Ita fere Wetstenius). Quae sententia ut contorta, ita ab huius loci consilio remota refutatione quidem non eget. Sed hoc non alienum fuerit, coniunctis verbis ἀλλ' ἀπὸ μέρους πάντας ὑμᾶς, ut ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ explicandi ἀπὸ μέρους causa additum sit, quid sibi velit ἀπὸ μέρους et ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ, paulo accuratius dicere. Emmerl. hanc P. mentem esse arbitratur: qui tristitiam excitavit, non tam mihi paravit, quam quodammodo vobis omnibus, ne dicam vobis solis, qui ob eius flagitium pessime iamiam auditis, unde eum ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ proxime cum v. πάντας ὑμᾶς coniunxisse apertum est. Eodem modo, nisi quod hanc sententiam verbis ἵνα μὴ ἐπιβ. subiecit: ne dicam universum coetum christianum luctum hausisse, versatus hic est Theodoretus: μεῖζόν τι, inquit, εἰπεῖν ἐβουλήθη (P.) καὶ δεῖξαι πᾶν τὸ σῶμα ἐκκλησίας κοινωνῆσαν τῆς λύπης· ἀλλὰ ἄλλους καταλιπὼν αὐτῶν ἐμνημόνευσε μόνων· τοῦτο γὰρ δηλοῖ τὸ ἀπὸ μέρους καὶ ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ. Sed haec utraque ratio propterea ferri non potest, quod v. ἵνα μὴ ἐπιβ. post πάντας ὑμᾶς, quibus aliquid gravius addidisset, ut aut ne vos solos, aut ne universum coetum christ. in tristitiam illum coniecisse contendam, diceret, collocare debuisset Apostolus. Itaque v. ἵνα μὴ ἐπιβ., quemadmodum posita sunt, necessario explicant tantummodo ἀπὸ μέρους. Hac autem formula saepius utitur P., ut Adverbii vim habeat et aliqua ex parte, h. e. *non admodum*,

non valde significet. Ita Rom. 11, 25. ubi haec habes: ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, quae tamen perperam, nisi fallor, ita explicant: partem Israelitarum esse contumacem, cum ἀπὸ μέρους coniungunt cum τῷ Ἰσραήλ. Nam ut sit μέρος h. l. pars Israelitarum, repetito mente vocabulo, quod statim sequitur Ἰσραήλ (ὅτι πωρ. ἀπὸ μέρ. τοῦ Ἰσραὴλ τῷ Ἰσραὴλ γέγον.) praepositio tamen ἀπὸ nihil posset significare, nisi originem, unde genti israel. πώρωσις nata fuisset sensu hoc: πωρώσει, quae Israelitas invasisset, ansam praebuisse aliquam Israelitarum partem, quod patet diversum esse ab hac sententia: aliquam gentis israel. partem occupasse πώρωσιν. Obstat deinde huic explicationi articulus ante Ἰσραήλ, qui de tota gente isr. sermonem institutum esse indicat, ut haec summa sit repugnantia: alicui Israelitarum *parti* (ἀπὸ μέρους) et simul *omnibus Israelitis* (τῷ Ἰσραήλ) γεγονέναι πώρωσιν. Non est aliquod huius explicationis praesidium in verb. v. 26. καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται quaerendum, quod ea, quae ineunda esse videtur, interpretatione non sensus, sed modus, quo e verbis elicitur, mutatur. Arbitror enim ἀπὸ μέρους cum v. πώρωσις γέγονεν coniungi oportere hac permotus causa, quod formula paulina ἀπὸ μέρους adverbii potestate praedita, ut *quodammodo* significet, semper ad verbum, quod in sententia est, refertur (cf. loca infra allata), et quod deinde etiam hic ita positum est, ut ad verbum pertinere manifestum sit. Nam πώρωσις γέγονεν τῷ Ἰσραὴλ idem est, ac si ἐπωρώθη τὸ Ἰσραὴλ dixisset Apost. Quocirca sic explico: Tota gens israel. (τὸ Ἰσραήλ) quodammodo obdurata est; quodammodo autem, quod non universa gens πωρώσει affecta est, imo aliqua tantummodo

pars; nihilominus tamen τὸ Ἰσραήλ, quia haec nonnullorum obduratio, quatenus obdurati erant *Israelitae*, ad totam gentem *Israelitarum* pertinuit. Minus impedita sunt cetera loca, in quibus ἀπὸ μέρους occurrit Rom. 15, 24. ubi v. ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ hoc sibi volunt: (deducendum me vobis praebebo) si consuetudine vestra quodammodo (non plane, quod per temporis angustias non licebit) satiatus fuero, et II Cor. 1, 13. ubi v. καθὼς καὶ ἐπέγνωτε ἡμᾶς ἀπὸ μέρους hoc volunt: quemadmodum etiam iam cognovistis, sed ex parte tantummodo, nondum perfecte, (v. 14.) me etc. (ὅτι καύχημα etc.) Ut denique *ad nostrum locum*, unde paululum declinavit, iam redeat oratio, non potest ibi esse ἀπὸ μέρους, nisi quemadmodum in l. l. quodammodo h. e. non admodum, in hanc sententiam: Non me tristem reddidit homo flagitiosus, sed vos omnes *quodammodo* (h. e. etsi non valde, at quodammodo tamen) Syrus: ܡܢ ܡܕܡ. Restat, ut de verbis ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ quaeramus, quibus cum se nolle significet ad illud, quod ἀπὸ μέρους λελυπ. παντ. ὑμᾶς dixerat, aliud gravius (ἐπιβαρεῖν) adiicere, in promtu est, denotare, ἵνα μὴ ἐπιβ. (ne quid gravius dicam) h. l. ne in magnam vos tristitiam ab illo coniectos confirmem. Optime convenit haec sententia loco nostro, ubi non abhorret, hoc argumento Paulum homini incestuoso reconciliare Corinthiorum animos, ut hos magnopere ab illo laesos quidem esse concedat, sed eundem tamen satis etiam dedisse poenarum profiteatur (cf. v. 6. ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἡ ἐπιτιμία αὕτη, ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων).

CAPUT II.

Explicatur locus II Cor. 3, 1. — IV, 6.

Pergimus ad explicationem loci propter impeditam sententiarum colligationem in primis difficilis, in quo brevissime enarrando ita nos versari oportebit, ut proposita diligentissime sententiarum cohaerentia, ne qua alienior P. sermoni cum multis interpretibus notio immisceatur, sedulo caveamus atque tantummodo ea, quae difficiliora videantur neque a recentissimis interpretibus satis intellecta, fusius explicemus.

Vers. I — III. *Non eget P. commendatitiis literis, quoniam eum satis ubique commendant Corinthii eius opera ad Christum perducti.*

V. I. nulla premitur obscuritate. *At*, inquit P., *iterum me commendo!* (II, 15 — 17) *Quamquam literis in mei commendationem scriptis non indigeo.* Tanto plus dubitationis movit interpretibus v. 2 et 3, quae eo tamen, nisi fallor, removetur, si reputamus, Paulum, qui Corinthios et suam (v. 2) et Christi (v. 3) epistolam appellat, dum hanc, qualis sit, accuratius describit, nonnulla adiicere, in quibus Corinthiorum potius, quam epistolae, cum qua eos comparat, memor esse videatur. Huc pertinet illud, quod, quos, conten-

dit v. 2. animo suo inscriptas literas, easdem tamen vult ad cognoscendum et legendum explicatas esse omnibus hominibus. Scilicet v. ἐγγεγρ. — — ἡμῶν proxime sunt referenda ad illa ἡ ἐπιστολὴ ἡμῶν, ut, quatenus sint Corinthii *Paulo* pro epistola commendatitia (nam ἐπιστολήν v. 2. apparet esse συστατικήν cf. v. I. Theodor. ἐπιστολὴν ἔμψυχον ἔχομεν τὰ καθ' ἡμᾶς συνιστῶσαν ὑμῖν) eloquantur. Animo meo, inquit, estis inscriptae literae commendatitiae h. e: *conscius mihi sum, vos mihi commendationi esse.* Falluntur enim, qui (v. c. Chrysost., Schol. Cod. A. apud Matth. Wetst. al.) collatis locis II Cor. 7, 3. Phil. 1, 7. ubi quos homines summo se amore complecti dicere vult, eos se in pectore habere ait, suum in Corinthios amorem significasse Paulum putant, quod ab hoc certe loco alienum est. Non enim hic, quanto Corinthios amore foveret, sed quam eos sibi honori esse confideret, dicendum fuit. Verbis autem sequentibus γινωσκ. κ. τ. λ. in animo habuit Corinthios potius cum epistola collatos, quos propterea poterat merito dicere ἐπιστ. ἐγγεγρ. — — ἀνθρ., quoniam in publico versarentur, ut, quales essent, cognoscere liceret omnibus, quam epistolam, cum qua eos comparavit. Proinde quae obtinere videtur repugnantia, non tam inest in sententiis, cum h. modo loqui recte posset: scio meam in vobis apud omnes homines notis talem esse sitam commendationem, quae me omnibus probet: quam in hoc, quod epistolam, cum qua comparavit Corinthios, simul suo animo inscriptam, simul omnibus ad legendum propositam esse confirmavit, quod tamen, si in tralatione aliquo modo perstare vellet, vix evitare poterat, cum haec duo dicere constituisset: vos, Corinthii, eiusmodi estis epistola, in qua non magis

ego facile acquiescam (quoniam vos scio me commendare ἐγγεγρ. ἐ. τ. κ. ἡ.) quam ceteri homines (quoniam haec epistola in omnium notitiam venit. γινωσκομένη κ. τ. λ.). Emmerlingius duas rationes proponit, quibus istam repugnantiam tollat. Putat enim, aut v. ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν e noto Hebraeorum cor hominis pro homine (Gesen. Lehrgeb. p. 755.) ponentium more explicanda esse h. sensu: nobis inscriptae sunt literae i. e. *ubique eas nobiscum gestamus, ut cognosci possint ab omnibus*, Chrysostomum, credo, secutus, apud quem haec legas: πρὸς ἑτέρους οὐ χρήζομεν γραμμάτων. Περιφέρομεν γὰρ τὴν ἐπιστολὴν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν., aut, repetens Olearii sententiam, (cf. Wolf. ad h. l.) pro ἡμῶν, ubi iterum occurrit, cum Aethiope paucisque subsidiis criticis (cf. Griesb. et Matth. ad h. l.) ὑμῶν legendum esse. Neutro, quod vult, consequitur. Nam ut epistola illa *Apostolo*, non *eius pectori* inscripta fuerit, *inscripta* tamen ei fuit, neque ad legendum omnibus patuit hominibus. Sensum autem illum, quem verbis ἐγγεγρ. — — ἡμῶν vindicavit: *literae, quas nobiscum gestamus, ut* etc. quo iure e verbis exsculpat, ipse viderit. Non magis quod vult efficit, si cum Aethiope ὑμῶν reponat. Nam sic *Corinthiis est inscripta* epistola, ut non commodius legi posset ab aliis. Praeterea magnopere vereor, ut Emmerlingii argumentis hanc lectionem *exquisitam* esse demonstratum sit. Nam quod ea probata v. 2 et 1 bene inter se concinere contendit, cum vocabula ἐν τ. καρδίαις ὑμῶν, respondeant illis πρὸς ὑμᾶς et γινωσκομένη ὑπὸ παντ. ἀνθρ. congruant verbis v. 1. ἐξ ὑμῶν, id etiam locum habet retenta scriptura ἡμῶν, quoniam sola v. ἡ ἐπιστολὴ ὑμεῖς ἐστε γινωσκ. — ἀνθρ. causam afferunt idoneam, cur nub-

lis neque Corinthiorum ad alios, neque aliorum ad Corinthios opus habeat literis in sui honorem conscriptis. Etenim neque cur Corinthios eiusmodi literis obtunderet, causam habebat, quoniam hi ipsi talis epistolae loco ei erant (ἡ ἐπιστ. ἡμ. ὑμεῖς ἐ.) neque ut alios eiusmodi epistola aggrederetur opus erat, quoniam Corinthii, qui P. commendabant, conspicui erant omnibus. (γινωσκ. κ. τ. λ.) Alterum vero argumentum, quo firmare studuit lectionem ὑμῶν, evertit eam potius, quam ut stabiliat. Quemadmodum enim πλάκες καρδίας σαρκίναι v. 3., quae sunt Corinthiorum, Emmerlingium, ut Aethiopis lectionem probaret, moverunt, ita hanc ab iis profectam crediderim, qui quam epistolam v. 2. Apostolo inscriptam esse legissent, eandem v. 3. in Corinthiorum animis exaratam ut Christi epistola appelletur, dici non concoquere possent, quod tamen bene conspirare paulo infra patebit. — Sequitur v. 3. satis ille impeditus, quem participio φανερούμενοι, sic iunctum esse antecedenti teneri oportet, ut causam, cur P. Corinthios pro sua epistola commendatitia habeat, proferat, quae haec est, quod aperte sint ἐπιστολὴ Χριστοῦ. Sed quomodo hic Genitivus explicandus sit, digladiantur inter se interpretes. Alii (Iasp.) epistolam Christi iussu consignatam, alii (Wetst. Stolz.) ab ipso Christo in Pauli commendationem conscriptam, alii Christo h. e. Christi doctrina repletam, alii aliam in mente habuerunt. Ego Genit. Χριστοῦ pro Genitivo possessionis habeo, et ἐπιστολὴν non, ut v. 2., per epistolam commendatitiam explico (Chrysostomus: Ἄλλως δὲ αὐτοὺς, (Corinthios) ἐνταῦθά φησιν εἶναι ἐπιστολήν. ἀνωτέρω μὲν γὰρ ὡς συνιστῶντας διὸ ἐπιστολὴν ἐκάλεσε ἐνταῦθα δὲ ἐπιστολὴν Χριστοῦ ὡς ἔχοντας τὸν νόμον ἐγγεγραμμέ-

νον τοῦ θεοῦ) sed per epistolam simpliciter, ut ludat Apost. ἐπιστολῆς vocabulo, nihil dicens verbis ὅτι ἐστὲ ἐπιστολὴ Χριστοῦ nisi quod *estis homines Christiani* ὅτι ἐστὲ Χριστοῦ (1 Corinth. 1, 12.). Valde delectatur P. eiusmodi verborum lusibus; Gal. 4, 17. ζηλοῦσιν ὑμᾶς, ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε, ubi pariter ζηλοῦν, atque hic ἐπιστολὴ, duplici sensu usurpatum est. Verba sq. διακονηθεῖσα ὑφ' ἡμῶν facilia sunt: Christi a me consignata epistola estis h. e. estis conversi a me ad Christum; difficiliora, quae sequuntur ἐγγεγραμμένη — σαρκίναις, ubi duo offendunt, primum, quod epistola, quam Corinthii ipsi efficere perhibebantur (ἐστε ἐπιστολὴ Χριστοῦ), nunc tantummodo ad eorum animum, cui insculpta fuerit, refertur, deinde quod haec sibi mire opposita sunt οὐ μέλανι — ἀλλὰ πνεύματι θεοῦ ζ. — οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις —— ἀλλ' ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις. Illud natum est e studio Apostoli pergendi in inchoata *epistolae* tralatione, quam, si accurate loqui maluisset, sic continuare debuisset: quod vos estis homines, quorum animis inscriptae sint literae πνεύματι θεοῦ ζ. Quod vero ad illas Antitheses οὐ μέλανι — ἀλλὰ πν. θ. — οὐκ ἐν πλαξὶ λιθ. — ἀλλ' ἐν πλ. κ. σαρκ. attinet, mirae illae quidem sunt, cum in altera spiritus s. atramento oppositus tanquam materia consideretur, cuius ope sit consignata epistola, in altera tabulae lapideae commemorentur, quae ubi de epistola sermo sit, non possunt non miraculo esse. Unde in iis singularem quandam vim quaesiverunt interpretes, ut e voce. πνεύματι θεοῦ aut praestantiae, aut divini auxilii et e v. ἐν πλαξὶ καρδ. σαρκ. aut notionem eius, quod firmitatem habeat (at carne nihil fragilius!) aut quod tractari facile possit (Stolz. die weiche Herzenstafel) extunderent, et in

v. ἐν πλαξὶ λιθίναις ad tabulas lapideas in legislatione mosaica respexisse Apostolum existimarent, qui tamen vix habebunt, quo in hac legislatione v. ἐν μέλανι pertinere dicant. Itaque multo malim affirmativam ἀντιθέσεων partem ἀλλὰ πν. ϑ. ζ. — ἀλλ' ἐν πλ. κ. σαρκ. simpliciter enuntiare Corinthiorum tanquam epistolae Christi naturam credere, qui eo erant epistola Christi, quod spiritus s. (1 Cor. 3, 16) (πνεῦμα ϑ. ζ.) in eorum animis operabatur, negativam contra οὐκ ἐν μέλανι — οὐκ ἐν πλαξὶ λιϑ. eo adiectam putare, quod innuere voluerit P., se de epistola non proprie, sed tralate sic dicta loqui, ut ad πλάκας λιϑίνας eo delaberetur, quod accommodate ad nonnulla V. T. loca (Prov. III, 3. VII, 3.) cordis notionem per tabulas cordis expressurus erat, quibus tabulis carneis nihil tam commode, quam tabulas lapideas opponere potuerit. Itaque non repugnat, epistolam, quam constituunt Corinthii, v. 2. Pauli animo infixam, v. 3. epistolam Christi Corinthiorum animis inscriptam dici. Nam inde constat Paulo, Corinthios sibi pro epistola commendatitia esse, quod sunt epistola Christi h. e. homines per se ad Christum perducti, ut in eorum animis spiritus s. efficax sit. Sensus igitur v. 2 et 3. hic prodit: scio vos Corinthios mihi esse loco epistolae commendatitiae apud omnes homines, quoniam estis epistola non sensu proprio quidem, sed epistola Christi sensu tralato a me exarata h. e. cum estis per me ad Christum traducti homines, quorum animis literarum instar infixus sit spiritus s. —

V. 4 — 7. Quod se per Corinthios satis commendatum esse confidat, id deo tribuit, qui

ipse se constituerit novi eiusque praestantissimi foederis ministrum. In his versibus primum, quaenam sit *πεποίθησις τοιαύτη* v. 4., dicendum, quae haud dubie est illa, quam P. v. 2 et 3. significaverat, *se nulla egere commendatione per Corinthios iam commendatum omnibus.* Nam qua re ducantur, qui locatis in Parenthesi huius capitis versibus tribus prioribus, quarto ad II, 17. redire P. putant (Iasp. Emmerl. in Keils u. Tzsch. Anal. St. I. S. 157. et in Comment.) ut denotet *πεποίθησις τοιαύτη* eam P. fiduciam, qua se idoneum apostolico muneri rite gerendo existimaverit, fateor me non intelligere, cum alienissima sit ab illis versibus Parenthesis suspicio, quoniam, postquam nonnulla in sui honorem ipse protulerat, hoc dici valde attinebat, se nolle laudes suas apud homines celebrare, qui ipsi essent suae virtutis disertum documentum. Neque fuit, quod Emmerl. in vocis *οὐχ* ratione reddenda tantopere trepidaret, in medio relinquens, utrum pro *ὅτι οὐχ* transposita vocc. accipi, an praecedens verbum repeti debeat. De more hic positum esse, ut *ἐρῶ* cogitando addendum sit, (II Cor. 1, 24. Phil. 3, 12. cf. Herm. ad Vig. 790. Lamb. Bos. Ellips. p. 775. ed. Schaef.) vel sententia docet. Nam cum se per Corinthios, quos instituerit, probatum nullius commendatione indigere professus esset, ne omnia sibi, Deo nihil tribuisse videretur, non, inquit, probatam meam Apostoli indolem mihi vindico, sed deo, qui me fecit novi foederis, quod non literis consignatum est, sed spiritu constat, administrum. Quae omnia facilia sunt, ut si explicarem, acta agerem. Sed ultima verba v. 6. *τὸ γὰρ — — ζωοποιεῖ* quomodo cohaereant cum praecedentibus, quaeritur. Puto ea probare sententiam, etsi non

diserte expressam, at latentem tamen quodammodo in voce πνεύματος hanc: novum foedus esse vetere (hoc enim significat τὸ γράμμα cf. v. 7.) longe praestantius *). Nam πνεύματι nihil norunt nostri excellentius, quoniam Christianis, quibus est peculiare (Act. II, 4), certissimum est beneficiorum messianorum pignus (Gal. 5, 5. II Cor. 1, 22. Ephes. 1, 14). Causa autem, cur dignitate praecedat novum foedus legem mosaicam, est haec, quod lex supplicia sumat (ἀποκτείνει), spiritus s., qui regnat in nova disciplina, vitam aeternam concedat. (Chrysost. ὁ νόμος ἐὰν λάβῃ φονέα, ἀναιρεῖ, ἡ χάρις, ἐὰν λάβῃ φονέα, φωτίζει καὶ ζωοποιεῖ) Itaque nihil causae fuit, cur multi ἀποκτείνειν mortem minari, ζωοποιεῖν vitam aeternam promittere explicarent. Nam lex non solum minata est supplicia, sed etiam sumsit, et spiritus s. non solum promittit vitam aeternam, sed re vera etiam aliquando confert (Gal. 6, 9.) ut recte dicatur πνεῦμα ζωῆς Rom. 8, 2. et πνεῦμα ζωοποιοῦν (1 Cor. 15, 45). Mirum est Krausium in opusc. p. 134 sq. τὸ γὰρ — — ζωοποιεῖ proverbium fuisse putare

---

*) Saepissime ante Particulam γὰρ omittitur sententia propterea, quoniam, quae desit, ex enuntiatione, ubi γάρ collocatum est, sponte apparet. Sic. II Cor. 2, 17. καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; οὐ γάρ ἐσμεν etc., ubi ante v. οὐ γάρ etc. haec deest sententia: At ego sum idoneus. Lucian. Hermot. §. 51. — ἀλλὰ παρευδοκιμεῖται ἡ ἀλήθεια ὑπὸ τοῦ ψεύδους παραπολύ. [Nec mirum.] εὐπροσωπότερον γὰρ ἐκεῖνο. Plato Phaedo §. 16. ubi cum Cebes miratus Socratis verba ἴττω Ζεύς exclamasset, Socrates haec regessit: Καὶ γάρ ἂν δόξειεν οὕτω γ' εἶναι ἄλογον· οὐ μέντοι ἀλλ' ἴσως γ' ἔχει τινὰ λόγον. quae sic plena fac: Quod miratio animum tuum subiit, in eo non offendo. Nam etc.

celebratum in Iudaeorum scholis, quod de magna mysticae prae literali interpretatione monuerit praestantia. Quae opinio quemadmodum non potest probari scriptorum iudaicorum, quae huius proverbii certa vestigia contineant, locis, ita, si vel verissima esset, nihil afferret ad explicandum hunc locum auxilii, ipso Krausio confitente, esse hoc proverbium ad rem praesentem a Paulo accommodatum, ut eadem sit interpreti recto transferendi proverbii, quam sententiae, quae non sit proverbium, bene explicandae difficultas. Certe quae Krausium detulit ad illam opinionem fortuna, ei non affuit in sententia, quam hic proverbium habeat, dilucide exponenda.

V. 7—12. Hoc munus apostolicum tantum praestat Mosis olim satis illustri in ferenda lege provinciae, quantum nova disciplina veterem illam dignitate antecedit.

Mosis munus fuit *διακονία θανάτου*, quoniam ille legem ad populum israel. pertulit, quae plurima supplicia sanciret (*τὸ γράμμα ἀποκτείνει* v. 6) et *ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις*. Quae verba cum propterea mira viderentur Emmerlingio, quoniam *munus lapidi incisum* non recte dicatur, Paulum per sui sermonis asperitatem atque barbariem (Prol. p. 27) perperam Participium *ἐντετυπ.* cum v. *διακονίαν* coniunxisse ratus, cum voc. *γράμμασιν* vertendo componendum esse putavit. Quasi vero non etiam Graeci pro sua in cogitando celeritate non accurate notiones, quo pertineant, expendentes, dummodo ad sententiam quae necessaria sunt, omnia afferant, epitheta ad aliud, quam par erat, substantivum

referant *). Itaque Emmerl. non tam mirari debebat hanc locutionem, quam explicare, quomodo P. *διακονίαν ἐντετυπ. ἐν λιθ.* sibi informaverit. Nam nisi aliquo modo hae notiones coniungi potuissent, ne P. quidem eas copulasset. Qui propterea, ut facile patet, *διακονίαν* dixit *ἐντετυπωμένην ἐν λίθοις*, quoniam obiectum *διακονίας* (leges divinae cum gente israel. communicandae) in tabulis lapideis incisum erat. Ceterum non possum cum iis sentire, qui post *ἐν γράμμασιν* commate interpungunt. Quis enim non animadvertit, molestam hanc esse orationem, in qua primum verbis *τοῦ θανάτου*, quae tamen nisi cum *ἡ διακονία* coniuncta non plenam notionem efficiant, vocabula *ἐν γράμμασιν* explicationis causa addantur, deinde *ἡ διακονία*, quae nec ipsa sine *τοῦ θανάτου*, qualis sit, intelligi potest, sola definiatur verbis *ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις*? (Si munus ferendae legis funestae, si *legis*, inquam, *quae literis consignata fuit*, ferendae *munus incisum* in lapide gloriosum fuit.) Praestat igitur sublato Commate, v. *ἐν γράμμασιν — λίθοις* arctissime copulata ad *ἡ διακονία τ. θανάτου*, quae verba distrahi nullo pacto possunt, referre h. modo: *si munus suppliciorum plenam ferendi legem literis consignatum et ita quidem, ut hae*

---

*) Disputarunt de hac notionum perturbatione Herm. ad Vig. p. 891. et Lobeck ad Sophocl. Ai. p. 220 et 221, qui posterior eam quamvis poetis maxime frequentatam, minime tamen abhorrere a prosaicorum scriptorum consuetudine apposito docuit Appiani B. C. IV. c. 89. 1000, ubi haec leguntur: ἥδοντο εὐθὺς ἐπὶ τῇ ὄψει τοῦ πλήθους ἀλλήλων ἑκάτεροι, ἰσχυροτάτη σφίσι φανείσῃ, ubi ultima verba ἰσχυρ. σφ. φαν. ad τῇ ὄψει referuntur, cum aperte ad τοῦ πλήθους pertineant. cf. etiam Eurip. Orest. 1500. ἔμολε δ' ἐπὶ φόνῳ χαμαιπετεῖ ματρός.

literae lapidibus insculptae essent, (εἰ δὲ ἡ διακονία τοῦ θανάτου ἐντετυπωμένη ἐν γράμμασιν ἐν λίθοις etc.) splendore coruscabat, (ἐγενήθη ἐν δόξῃ· nam δόξα hic fulgorem significat. cf. LXX. Exod. 24, 16. ἡ δόξα τοῦ θεοῦ (כְּבוֹד יְהוָה) I Cor. 15, 40. δόξα ἡλίου) *ut Israelitae Mosis vultum recta intueri non possent propter hunc ipsum vultus splendorem, qui tamen evanuit.* Constat Ap. hic respexisse ad narrationem Exod. 34, 29., ubi tantum perhibetur, Mosis facies e consuetudine cum Iehovah contraxisse fulgorem, ut in eum oculos coniicere non sustinuerint Israelitae. Hanc narrationem in rem suam ita convertit P., ut e tanto Mosis, qui erat ὁ διάκονος τοῦ θανάτου, splendore longe maiorem vindicet ministerio novae religionis existimationem. Novum est, quod Emmerl. τὴν καταργουμένην *specie* tantummodo putat ad τὴν δόξαν pertinere, *reapse* ad γράμματα; Apostolo, ut supra in verbis ἡ. διακ. ἐντ. ἐν. λ. notiones, quae coniungendae essent, parum accurate consociante. At hoc fieri non potest; cum quod remotiora sunt v. ἐν γράμμασιν et in sententia alia, quam τὴν καταργουμένην, posita, tum ob repetitum articulum, qui idoneo, arbitror, indicio est, τὴν καταργ. ad τ. δόξαν, quae sic accuratius definiatur, *reapse* pertinere. E v. 11. nihil lucri ad suam opinionem commendandam facit E. Ibi enim τὸ καταργ. non est rel. mos., ut ille putavit (vide infra) et si esset, inde non consequeretur, τὴν καταργ. h. l. non posse ad τὴν δόξαν referri. Neque quidquam inepti habet sententia, quae coniunctis notionibus τ. δόξαν τ. καταργουμ. efficitur. Nam quanquam e loco Exodi non constat, quamdiu illa δόξα duraverit, res tamen ipsa monet, residuum e consuetudine cum Iehovah splendorem vel sensim sensimque

quotiescunque de monte Moses descendisset, exstinctum esse, vel cum Mose certe ipso interiisse, ut recte δόξα καταργουμένη appellata sit. Non arbitror cuiquam hanc sententiam suspectam fuisse, si v. 8. P. maiori, quam tribuit τῇ διακονίᾳ πνεύματος, δόξῃ aliquid addidisset, quod, ut infra v. 11. τὸ μένον et τὸ καταργούμενον sibi respondent, verbis τὴν καταργουμένην recte opponeretur, hoc: insigniorem τῆς διακονίας πν. splendorem esse perstaturum. (δόξαν μένουσαν.) Aperta ad intelligendum est sententia v. 8. Quanto maiori *), inquit, conspicuum erit splendore ministerium spiritus, propter magnam scil. spiritus prae lege praestantiam (cf. v. 6)? Pari modo versatur Ap. v. 9., ut e magno splendore, quo insignis fuit minister legis, quae κατάκρισιν (Rom. 3, 20. Gal. 3, 10) ferret, maiorem demonstret honorem (nam hanc per hos versus dilogiam regnare, ut δόξα de re mosaica usurpata splendorem sensu proprio, de christiana honorem et dignitatem denotet, vix est, quod moneam) ministri doctrinae christ., quae δικαιοσύνην (Rom. 10, 4. et 3, 22) generi humano paret. Itaque non dubitari potest, quin illustrior sit doctrinae christ. legatorum honor illo splendore, quo olim Mosis facies collustrata est. Sed in hoc non acquiescens P. demonstrare v. 10 et 11. hoc quoque conatur, *vixdum Mosis munus splendidum dici posse*, cum summa legatorum novi foederis dignitate tantum non exstinguatur. Non

*) Doctores rabbinici Mosis fulgorem solis esse assecutum splendorem, ut alia omnia, accurate sciebant. cf. Gaulmin. ad libr. de vita et morte Mosis p. 25. et Pococke ad Portam Mosis p. 223. Quod si ita fuit, quantam tandem putabimus esse δόξαν τῆς διακονίας τοῦ πνεύματος!

potest enim τὸ δεδοξασμένον v. 10. neque cum plerisque interpretibus, in quibus nolim Wahlium (In Clavi s. v. δοξάζω) esse, ad Pauli non religionis christ. prae lege mos. praestantiam, sed legatorum novae doctrinae, propter rei christ. prae lege excellentiam a. v. 7—12. probaturi consilium minus attendentibus de *lege mosaica* explicari, neque cum Tellero ad Mosis vultum divino splendore nitentem referri, sed ad διακονίαν τῆς κατακρίσεως v. 9. (Ita recte Grotius Stolzius et Krausius l. l. p. 145.) Nam de hac sola loquitur, ut eam cum διακονίᾳ τῆς δικαιοσύνης comparet. Hanc autem recte dici τὸ δεδοξασμένον inde manifestum est, quod ei in antecedentibus δόξαν tribuerat. (v. 7. ἡ διακονία τοῦ θανάτου ἐγενήθη ἐν δόξῃ v. 9. ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως δόξα.) Ceterum eo solum fine hic versus adiectus esse nono videtur, ut verbi περισσεύειν v. 9. ratio redderetur. Abundat, inquit, ministerium religionis christ. dignitate. Nam muneris mosaici fulgor prae magno illius honore vix iam cernitur. Reliquum est, ut quonam pertineant v. ἐν τούτῳ τῷ μέρει, explicem. Quae, ut posita sunt, ita haud dubie cum v. τὸ δεδοξασμένον cohaerent h. sensu: quod collustratum fuit hac parte h. e. ita, ut per splendorem, qui in Mosis facie conspiciebatur, illustre redderetur. Nam qui *comparationis* sensum in hoc nomine μέρους quaesiverunt (v. c. Syrus ܒܦܘܚܡܐ ܗܢܐ ܡܘܒܚܢܐ ܕܛܠܠܝܢ Schol. Cod. A. apud Matth. ἐν τούτῳ τ. μ.] ἐν τῷ τῆς συγκρίσεως καὶ παραθέσεως) eo inducti sunt, quod utriusque muneris splendorem hic comparari vidissent. Recte Theodoretus huius versus sensum sic descripsit: Τοσαύτη ἐστὶν ἡ τούτοις (ὑπηρέταις λόγου) προσεσωσμένη δόξα, ὅτι

οὖσαν δόξαν εἴποι τίς ἂν εἰκότως τὴν Μωϋσῇ προςγενομένην, ἀποβλέπων εἰς τούτους. Versu 11. aliqua ratione probatur sententia versus 10. vix iam prae egregia muneris christiani virtute apparere magnum illum officii Mosis splendorem, qua dicitur, si in honore fuerit Mosis διακονία, quae iamiam nulla sit, consentaneum esse, multo maiorem dignitatem suppetere doctoris christiani muneri, quod diuturnitatem habeat. Τὸ καταργούμενον multi (ut Iasp. Emmerl.) graecos interpretes (Theodor. Theophyl.) secuti, de religione Mos., cui finem Christus attulerit (Rom. 10, 4.), explicuerunt. Male. De hac enim, ut aliquoties diximus, non praecipue P. loquitur. Est idem, quod v. 9. τὸ δεδοξασμένον, v. 7. ἡ διακονία τοῦ θανάτου et v. 9. ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως Mosis legem ferendi officium, contra τὸ μένον, quam antea appellatam vidimus διακονίαν πνεύματος et δικαιοσύνης legatorum doctrinae christianae munus, quod inde luculenter apparet, quoniam in hoc uno elaborat P., ut, cum utramque διακονίαν aliqua δόξῃ conspicuam esse contendisset, utri potior conveniat, ostendat. Quod autem Mosis splendidum in ferenda lege ministerium τὸ καταργ. appellatur, causa haec est, quod eius fulgor, muneris christiani gloria superatur et ita sane καταργεῖται, nullus redditur; novi contra foederis munus τὸ μένον vocatur, tum quod propter doctrinae div. diuturnitatem sempiternus eius usus est, tum quod egregia eius δόξα nulla unquam alia aboleri posse videtur.

V. 12 et 13. P. de magna muneris christiani gloria sibi persuasum habens, aperte se rem gerere profitetur, aversatum Mosis sumto velo, ut suae auctoritatis finem occultaret, tecte agentis exemplum.

Iam in eo est Ap., ut, quem effectum dignitatis, qua suum munus ornatum sit, fiducia in se habeat, accuratius exponat. Sed historia mos., ad quam supra (v. 7.) respexerat, ita recens in mente haeret, ut ei non solum suggerat allegoriae de Mosis velo v. 13. opportunitatem, sed etiam a consilio prorsus deducat v. 14—18., ad quod tamen Cap. IV. iterum redit. *Τοιαύτην ἐλπίδα* non potest aliam dicere, quam qua suum munus permansurum illud (v. 11. *τὸ μένον*) in summo honore esse confidit. Semper enim hucusque de sua *διακονίᾳ* egerat. Itaque qui spem de religionis christ. perpetuitate (Leunius, Iasp. al.) in mente habent, ad pracedentia non attenderunt. *Παῤῥησία* autem, ad quam P. illa fiducia erigitur, libertatem in dicendo agendoque exprimit, quae cum in eo cernatur, ut et quae dicenda sint, intrepide proferas, et quae facienda, animo imperterrito persequaris, necessario notionem eius, quod *apertum* sit, simul involvit (unde *ἐν παῤῥησίᾳ* palam significat בפרהסיא cf. Buxtorf. Lex. chald. talm. rabb. pag. 1804), quam propterea h. l. firmiter teneri oportet, quoniam alioquin, ne v. 13. sententia male intelligatur, periculum est. Ceterum Apostoli *παῤῥησία* in eo continebatur, quod, ut 4, 2. ostendit, abhorrens a falsorum Apostolorum malis studiis Christi doctrinam integram magis magisque divulgare studeret. — Versus 13, etsi eius sensus non ita reconditus esse videatur, tamen, nescio quo pacto, non semper perceptus est ab interpretibus. Ad verba quidem *καὶ οὐ* mente repeti debere verbum *τιθέναι* cum iis, quae eo pertineant, vocabulis (*καὶ οὐ τίθημι κάλυμμα ἐπὶ τὸ πρόσωπόν μου* non, ut Moses faciem circumdedit velo, sic ego me obvolvo) nemo unquam, credo, dubi-

tabit *). Sed in hoc multum dubitationis relictum est; cum qui sensus sit horum verborum, tum quomodo explicanda sint v. seq. *πρὸς τὸ μὴ — — τοῦ καταργουμένου.* Ille tamen quoniam expediri non potest, nisi prius de vera verborum *πρὸς τὸ μὴ — — καταργ.* explicatione constet, hanc praevertendam esse censemus. Praepositionem *πρὸς* fuerunt, qui de effectu (Schulz. Iasp.); fuerunt etiam,

*) Saepe enim Graeci atque Latini, qui talem eorundem verborum repetitionem deturpare orationem, semel illa posita sufficere ad aperiendum sensum recte animadvertissent, in eiusmodi sententia verbum alteri enuntiationi detractum in sola altera collocasse contenti sunt. Sed naturam illi secuti et rationem plerumque in secundaria enuntiatione omissum potiori addunt. Hanc rem habes in locutionibus *εἴπερ τις καὶ ἄλλος* et similibus cf. Aristoph. Acharn. v. 406. *Εὐριπίδη, ὑπάκουσον, εἴπερ δήποτ' ἀνθρώπων τινὶ* [sc. *ὑπήκουσας*] Liv. 35, 44. Nabin nunc Lacedaemoniorum [tyrannum esse] [illegible], si liceat, universae Graeciae futurum tyrannum. Exempla huius rei apud Paulum cum plurima sint, e nostra epistola haec pauca adscribo: I, 6. *εἴτε δὲ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν σωτηρίας* sc. *θλιβόμεθα.* 5, 13. *εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, θεῷ* sc. *ἐξέστημεν. εἴτε σωφρονοῦμεν, ὑμῖν* sc. *σωφρ.* 7, 12. *Ἄρα εἰ καὶ ἔγραψα ὑμῖν, οὐχ εἵνεκεν τοῦ ἀδικήσαντος* sc. *ἔγρ. ὑ.* Sed nec alterum respuerunt prorsus, hoc dico, ut Verbum secundariae potius sententiae [V. c. relativae, comparationis particula adnexae] adiiciatur. Ex hoc genere hic P. locus est, (cf. etiam 2 Cor. 8, 5) et simillimus apud Thucyd. l. I. c. 134. *καὶ αὐτὸν ἐμέλλησαν μὲν ἐς τὸν Καιάδαν* [sc. *ἐμβάλλειν*] *οὗπερ τοὺς κακούργους ἐμβάλλειν εἰώθεσαν.* Neque quod haec ratio antiquis scriptoribus interdum magis placuit, potest mirum videri, ut qua lata nihil detrimenti [illegible] sententia. Quisque enim lector facile videt, inde hanc loquendi rationem ortam esse, quod, quam apodosin post interiectam illam sententiam adhuc interserere prius voluerant, eam quia a secundaria ad primariam facile cogitando addi deinde viderent, scriptores neglexerunt.

qui de consilio (Stolz. Schott.) interpretarentur. Illi perperam; non quod πρός cum Infinitivo *ita ut* apud nostros non significet, (Matth. 5, 28), sed quod non μή, sed οὐκ ponere debuisset Ap., quod rem simpliciter negare constat (cf. Win. Gr. p. 127) h. s.: hoc velo effectum est, ut Israelitae non intueri possent (πρὸς τὸ οὐκ ἀτενίσαι). Deinde ipsa loci natura flagitat, ut πρός de consilio explicetur. Nam cum P. se, qui aperte agat, opponat Mosi, manifestum est, eiusmodi carpi Mosis agendi rationem, qua clanculum et dolose se gereret, quod non fieret, si temere assumto velo imprudens Israelitarum oculis τὸ τέλος τ. καταργ. subtraxisse legeretur. Itaque illa P. verba de consilio explicanda esse certum est. Minus patet, in quemnam sensum accipi debeant v. τὸ τέλος τ. καταργουμένου. Vetusta, quam a Theodoreto profectam multi (nuper Kraus. et Emmerl.) sunt amplexi, interpretatio haec est, cum τὸ καταργούμενον legem mos. et τὸ τέλος Christum, qui eam abrogaverit, designare volunt. Quae opinio duobus argumentis nititur, altero, quod v. 11. τὸ καταργ. sit dicta lex mos., altero, quod e Rom. 10, 4. (τέλος γὰρ νόμου Χριστός) τὸ τέλος Christum esse appareat. Neutro moveor. Illud silentio iam praetermitto, qui ad v. 11. τὸ καταργ. legem mos. non significare satis me evicisse credam. In loco autem ad Rom. 10, 4. propterea nihil ad defendendam suam sententiam firmamenti habent, quod, ut ibi Christus addito eius nomine τέλος νόμου recte appelletur, nullo tamen modo ille κατ' ἐξοχήν tanquam quem legem antiquasse omnes consensissent, τὸ τέλος τοῦ νόμου dici a Paulo potuit. Caussa aperta est, haec, quod P. sententia de abrogata per Christum lege mos. adeo non fuit omnium

illius temporis Christianorum, ut ille multis verbis eius veritatem probare lectoribus debuerit (Gal. 3, 19 sq.) ipseque in magnam propter eandem hominum invidiam incurrerit. Deinde non verisimile est, Paulum repugnantem communi omnium posterioris aetatis Iudaeorum opinioni, Mosen Deut. 18, 15. diserte de venturo Messia cecinisse, eum Messiam adeo occultasse contendere. At, inquis, eadem res manet, si τ. τελ. τ. καταργ. de fine muneris, quo Moses functus est (cf. infra), explicas. Nam si hunc M. involvit, non minus detraxit Messiae, cum abscondito suae provinciae fine homines apud se retentos a Messia abalienaret, quam si Messiam ipsum velamine contexit. Recte quidem. Sed hanc Allegoriam, qua, ut infra dicetur, nihil sibi voluit P., nisi Mosen tecte illum agentem sibi, qui ingenue doctrinam div. aperiret (4, 2. ἀλλὰ τῇ φανερώσει etc.) ut suam agendi rationem nobili hominis, qui contra fecerit, exemplo illusraret, opponere, nemo non aptissime institutam dicet, si M. sui muneris finem velamine obvolvit. Sic enim non solum egregie sibi respondent Moses suas res callide operiens et Paulus candide suas explicans, sed poterat etiam nemo offendere, cum Mosen suae provinciae finem occuluisse legeret. Nam ita primo adspectu M. magis suo commodo prospexisse, quod in Allegoria dici facilius sinerent homines a Iudaeis profecti, quam Messiae dignitati obtrectasse videbatur, quod vel in Allegoria contendi nefas putare debebant. Pessima contra est P. Allegoria, si M. Messiam, qui muneri suo finem allaturus esset, velo abscondidit, primum propterea, quod Iudaei, qui, quem Mosen tanquam de Messia non obscure vaticinatum valde suspicerent, eundem Iudaeorum oculis Messiam subtraxisse legissent

non possent non offendi, deinde quod haec sibi minus bene opposita sunt: ego Ap. Messiam hominibus aperio, M. eum velo obscuravit. Non enim per se magno opprobrio hoc Mosi fuisset, quippe cui non praecipue, ut homines de Messia edoceret, divinitus demandatum esset, sed ut et legem ferret et eius rationes populo exponeret. Sed quorsum haec multa, cum apertum sit, ne posse quidem propter grammaticas rationes τὸ καταργ. aliam, quam v. 11. potestatem habere. Itaque etiam hic Mosis munus significat, quod sic dicitur, quod post Messiae adventum abolebatur et sensus est hic: M. velo se circumdedit, ne Israelitae sui muneris finem cognoscerent. At, inquis, quomodo tandem, etiamsi M. sui vultus copiam Israelitis fecisset, aliquam de instante ministerii, quo fungebatur, fine coniecturam capere illi potuerunt? Nonne igitur satius est, τὸ καταργ. de splendore in Mosis vultu collucente explicare (Schol. C. A. apud Matth. εἰς τ. τ. τ. καταργ.] τὸ μέλλον παύεσθαι τῆς δόξης πρόσωπον. Stolz. Schott.), qui iam supra ἡ δόξα τ. προσώπου αὐτοῦ ἡ καταργουμένη appellabatur? Nam ne intereuntis splendoris finem conspicerent, id vero poterat assumto velo cavere M.. Minime. Nam quo sensu τὸ καταργ. v. 11. legebatur, eundem (dicendum enim est saepius) hic quoque retinere debet. Illa autem difficultas facta potius, quam data est. Debemus enim recordari, nos in Allegoria explicanda versari. Nihil aliud effert v. 13., quam sententiam v. 12. affirmativam negative: ego aperte ago, non tecte et fraudulenter, ut M.. Hic tecte egit, quod velum sumsit (quod eorum est, qui caussae suae diffisi lucem fugiunt) ut scil. finem divinitus concessi, quod iamiam cessat, muneris operiret. Itaque eo arbitror Paulum ad Mosis velum delapsum

esse, quod suam παῤῥησίαν fortiter et perspicue contrarium eius afferendo commendare vellet.

V. 14—18. Quo velo M. Israelitarum oculis olim subtraxit suae provinciae finem, id etiamnum iis prospectum adimit. Sed qui ad Christum se contulerit, ab eo id removetur, cum, ubi libertas regnet, locus velo servitutis signo non relinquatur. v. 14—17. Unde facile apparet, quotquot inveniantur Christiani, eos velo levatos, ut domini gloriam oculis usurpent, prospicere posse.

Declinat sane, ut iam supra indicavimus, his versibus P. a consilio, quo satis probata suae provinciae prae Mosis munere praestantia, quonam in se haec fiducia valeret, expositurus erat (cf. v. 12. IV. 1. sq.), sed ita tamen, ut postrema v. 13. verba πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι etc. facillime eum ad has, quas iam addit, sententias perduxerint. Nam cum hanc Mosis in se obvelando voluntatem fuisse contendisset (v. 13.), ne sui muneris finem animadverterent Israelitae, sententia etsi non diserte expressa, at quae sponte tamen ex eo, quod M. fecit, consequeretur, *illius temporis Israelitas* τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου *non vidisse*, memoriam sui temporis Iudaeorum Apostolo excitat, qui pariter quasi velo impediti muneris mos. finem non videant, Christum contumaciter repudient. Iudaei igitur ἐπωρώθησαν oculorum acies praestricta ingeniique acumen obtusum est, quod non potest mirum videri. Nam Mosis velum, quominus viderent, impedimento fuit. Magnae autem et quae diu perstiterit Iudaeis offusae caliginis notionem verbo ἐπωρώθησαν h. l. inesse inde intelligitur, quod eorum animos obduratos esse statim eo probat P., quod ἄχρι τῆς σήμερον τὸ αὐτὸ κάλυμμα apud eos-

dem reperiatur. Sed quemadmodum velum supra Mosi attributum Apostolo fuit hominis fraudulenter agentis signum, ita illud hic a Mose ad Iudaeos quasi translatum (*τὸ αὐτὸ κάλυμμα*) est indicium hominum, qui ademto prospectu aliquid non vident, h. e. ad mentem traductum, non intelligunt. Nam et homini callido et stupido *κάλυμμα* recte tribuimus; si illi, consilii, quo recipit, rationem habemus: vult autem aliquid aliorum oculis subducere; sin huic, id, quod efficit *κάλυμμα*, in mente habemus: habet autem hanc vim, ut eum a visu arceat. Ut autem appareret, quam parum Iudaei intelligerent, duobus adeo velis eos impeditos legimus, altero, quod *τὴν ἀνάγνωσιν τ. παλαιᾶς διαθήκης* contegeret, ut vel acuta mens oraculorum div. mentem non perspexisset, altero, quod *ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν ἔκειτο*, quo significaretur, ipsum eorum animum ad intelligendum minime fuisse idoneum *). Quantas igitur putabimus Iudaeorum

*) Ne igitur cum nonnullis interpr. verbis v. 15. *κάλυμμα ἐ. τ. κ. α. κ.* movearis, ut *τὸ καλ. ἐπὶ τ. ἀναγν. τ. π. δ.* pro *ἐπ' αὐτοῖς τοῖς ἀναγινώσκουσι τ. π. δ.* dictum putes. Sic iam Chrysost. statuisse videtur, quem tamen illa cura ad hanc sententiam deduxit, ne, si libri s. *καλύμματι* obscurati dicerentur, legis mos. *ἀσάφεια* verbis inesse videretur: *ἵνα μή τις νομίσῃ τῆς ἀσαφείας τοῦ νόμου εἶναι τὸ εἰρημένον, καὶ δι' ἑτέρων μὲν αὐτὸ καὶ ἔμπροσθεν ἔδειξε, καὶ ἐν αὐτῷ δὲ τούτῳ πάλιν. Οὐ γὰρ εἶπεν ἐν τοῖς γράμμασιν μένει τὸ κάλ., ἀλλ' ἐν τῇ ἀναγνώσει, ἡ δὲ ἀνάγνωσις ἐνέργεια τῶν ἀναγινωσκόντων ἐστίν. σαφέστερον δὲ αὐτὸ τῇ λέξει τῇ ἑξῆς ἐδήλωσεν, ἀνακεκαλυμμένως εἰπὼν κάλυμμα ἐπὶ τ. κ. α. κ.* Imo sic sibi rem informavit P.: aliud velum expansum est super legis mos. pralectionem; hoc facit, ut praelectam legem Iudaei non intelligant; aliud ipsorum *καρδίαν* involvit, unde hoc consequitur, esse eorum mentem ad cognoscendum minime aptam.

tenebras fuisse, quibus non solum velo subtrahebatur, quod apertum esse debebat, ἡ ἀνάγνωσις τ. παλαιᾶς διαθήκης, sed etiam obscurabatur, qua una cognoscere aliquid poterant, ipsorum mens! Nihil habent hi duo versus, nisi ultro quaeratur, vel obscuritatis, vel difficultatis. Nam quod ad τὸ κάλυμμα ε. τ. α. τ. κ. δ. pertinet, valde quidem verisimile est, quod multi interpretes (ut Wolfius, Semlerus, Michaelis Einl. in's N. T. S. 1225 ed. 4. al.) existimarunt, respexisse P. ad illud velum, quo Judaei cum rem divinam facerent (v. c. in precibus fundendis) caput circumdederunt, quod טלית ab operiendo dicitur. Hoc tamen eiusmodi est, ut suspicari potius, quam certo contendere liceat. Mira, neque perspicue expressa est Emmerlingii de verbis μὴ ἀνακαλ. ὅτι — καταργ. sententia. Qua re non offendor. Solet enim ille tum maxime obscurus esse, cum mentem accurate explicasse magnopere interfuisset. Sic autem interpretatur v. μὴ ἀνακ. — καταργεῖται: *ut non intelligant Iudaei, legem. mos.* (cur igitur, quasi *totam enuntiationem ad* κάλυμμα *referret, velaminis* vocabulum in versione retinuit?) *per Christum antiquatam esse*, ut, si coniectura eius mentem assecutus sum, in explicatione v. μὴ ἀνακαλυπτόμενον hunc Participiorum usum huc transtulerit, cum Graeci absolute ponunt Participia, maxime illa ἐξόν, παρόν, ἐνόν, h. sensu: *cum liceat* et s. p., (cf. Herm. ad Viger. p. 715 et Matth. ausf. gr. Gr. §. 564) sed etiam alia, ut Thucyd. I, 140. εἰρημένον cum dictum sit; Lucian. Pisc. §. 25. ἐκεῖνοι μὲν καθ' ἑνὸς ἀνδρὸς ἐτόλμων τὰ τοιαῦτα καὶ ἐν Διονυσίοις, εἰρημένον αὐτὸ δρᾶν i. e. cum permissum esset, id ibi facere. Sic h. l. μὴ ἀνακαλυπτόμε-

vox cum (iis) non reveletur, legem mos. per Christum abrogatam esse h. e. denique, *ut non intelligant.* Continet enim, inquit E., antecedens revelari etiam consequens videre. Hoc modo Theophylactus de his verbis statuisse videtur, cum haec adscriberet: καὶ οὐδὲ ἀνακαλύπτεται αὐτοῖς οὐδὲ διαγινώσκεται, ὅτι ὁ Χριστὸς ἔμελλε καταργῆσαι τὴν παλαιὰν διαθήκην. Sed quemadmodum nostri scriptores nunquam ἀνακαλύπτειν sed ἀποκαλύπτειν (Matth. 11, 27. I Cor. 2, 10) de eo, qui, quod hucusque ignotum fuit, cum aliis communicat, usurpant, sic mire fecisset P., si μὴ ἀποκαλυπτόμενον, quod consentaneum est non dici, nisi de cognitione, quae *revelando* tibi contigerit, ita adhibuisset, ut intelligere simpliciter significaret. Deinde quod E. in voce καταργεῖται in mente habet legem mos., quam per Christum vi sua privatam Iudaei non intelligant, in eo acquiescam, ut sententiam h. modo effectam in Pauli consilium non quadrare ostendam. Vult autem P. verbis μὴ ἀνακ. — καταργ., ut manifestum est, rationem reddere, cur etiamnum apud Iudaeos maneat (μένει) velum ἐπὶ τῇ ἀναγν. τ. π. δ. Itaque non licet cum E. explicare: manet κάλυμμα, ut non intelligant Iudaei, legem per Christum antiquatam esse. Hic enim effectus est, quem non poterat velamen non gignere, non causa, cur etiamnum librorum s. praelectionem apud Iudaeos obvolveret. Itaque spero quemque hanc praelaturum explicationem, cum μὴ ἀνακ. ad κάλυμμα refertur h. sensu: cum non retegatur velamen, quoniam per solum Christum removeri potest. Nunc apparet, cur Iudaeos obscurum illud velum etiamnum premat. Nam alieni sunt a Christo, qui solus auferre illud potest (cf. v. 16). —

Duo autem postremi huius Cap. versus magnas molestias facessiverunt interpretibus. Et v. quidem 17 sententiae ipsae non possunt offensioni esse, sed quid iis effectum voluerit P. in hac notionum comprehensione, magnopere quaeritur. Verba ὁ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν dominus est ita spiritu s. perfusus, ut totus quasi τὸ πνεῦμα sit, accommodate ad notiones de spiritu div. per universum N. T. diffusas dicta sunt, ubi τὸ πνεῦμα iam in conceptione Messiae potens (Luc. 1, 35.) semper et huic adest (Marc. 1, 10) et hominibus ad Messiam conversis ita peculiare est, ut, qui hoc instructus sit, ad Christum iamiam pertineat (Act. 10, 47). Non minus apparet, quid haec sententia οὗ δὲ — — ἐλευθερία sibi velit. Nam homines domini spiritu repleti non amplius tenentur lege mos. (ζυγῷ δουλείας Gal. 5, 1), deinde efficiunt τ. Ἰσραὴλ τ. θεοῦ (Gal. 6, 16), quod sensu quodam sublimiori genus ab Abrahamo repetunt tanquam τέκνα ἐκ τῆς ἐλευθέρας (Gal. 4, 23), denique spiritus, quo gaudent, ipse non est πνεῦμα δουλείας, ἀλλ' υἱοθεσίας, cuius est libertas. Quae omnia eiusmodi quidem sunt, ut notionibus Paullinis egregie respondeant, sed quibus tamen in hac disputatione de velo Iudaeos obscurante, Christianis detracto prima specie non locus esse videatur. At bene continuant Pauli disputationem, modo eum teneas sententiam v. 16. ab hominibus ad Christum conversis removeri κάλυμμα, versu 17 aliqua ratiocinatione probare propter id unum a plerisque non animadversa, quod eam Ap. non perfecit. Itaque haec erit P. perfecta argumentatio: Qui ad dominum accesserit, is velo levatur. Nam dominus spiritu gaudet divino. Ubi autem domini spiritus regnat, libertas valet: *ubi libertas*

valet, nullum est velum: Itaque ne apud dominum quidem velum est. Nititur autem eo haec P. ratiocinatio, quod velum antiquitus pro subiectionis et servitutis signo habebatur (I Cor. 11, 10) cf. Lakemacher Observ. s. P. III, pag. 209. Ut conclusionem P. absolveret non fuit necessarium apud homines, qui libertatem non pati velum ita sciebant, ut, si diserte dixisset, supervacanea addidisset. Restat, ut de v. 18 pauca dicam. Recte, opinor, E. ἡμεῖς πάντες, quod multi interpr. (ut Noesseltus Opusc. Fasc. II. pag. 174 seq. Stolzius, Schottus) ad solos Apostolos retulerant, ad omnes Christianos pertinere contendit. Nam sic mihi v. 18 cum v. 16 et 17 cohaerere videtur, ut, quod illis demonstratum erat, liberatos esse Christianos velo, quale sit, accuratius explicetur. Possunt autem Christiani, quod sunt velo levati, nunc non solum domini gloriam intueri: nam non amplius officit eorum oculis velum: sed etiam in eandem immutari, quoniam quasi *per speculum* eam conspiciunt. Hoc enim non potest non domini splendorem in eos reflectere. Aeque nobis probatur E. propterea, quod in v. κατοπτρίζεσθαι omissa *clare* aut *obscure* (I Cor. 13, 12) videndi notione, quam interpretes tantum non omnes amplexi fuerant, ad proprium rediit significatum *videndi per lapidem specularem*, cuius haec virtus est, ut, quod in eo conspexeris, eius reflectat splendorem. In hunc sensum iam Syrus κατοπτριζόμεθα convertit ܐܝܟ ܕܒܡܚܙܝܬܐ ܚܙܝܢܢ aut quod Paulum existimaret exprimere voluisse, ita Christianos δόξαν κυρίου videre, ut haec tanquam in speculo animadversa repercutiat splendorem, aut quod notionem v. κατοπτρίζεσθαι si accurate vellet, non

aliter per suae linguae angustias reddere posset. Sed Accusativus τὴν αὐτὴν εἰκόνα sine causa mirum habuit Emmerl. (Prol. pag. 27.), cum in verbis, quibus *motus in locum*, *mutatio* et *divisio* significatur, simplicem Accusativum sine Praepositione Graecos frequentare satis constet (cf. Bos. Ellips. ed. Schaefer. 679—685. Fisch. ad Well. Gr. III, b. p. 159). Transformamur autem ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν h. e. ita, ut haec permutatio a splendore, domini scil., (cf. paulo ante v. τὴν δόξαν κυρίου κατοπτριζόμενοι) per quem immutamur, proficiscatur et in splendorem desinat, cum ista transformatione splendidi evadamus. Sic recte Patres graeci v. c. Chrysost.: ἀπὸ δόξης) τῆς τοῦ πνεύματος. εἰς δόξαν) τὴν ἡμετέραν τὴν ἐγγινομένην καὶ τοιαύτην, οἵαν εἰκὸς ἀπὸ κυρίου πνεύματος. Locum similem habes Rom. 1, 17., ubi δικαιοσύνη θεοῦ ἐν αὐτῷ (εὐαγγελίῳ) ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν h. e. δικαιοσύνη θ. originem repetit a fide et pertinet ad πίστιν i. e. τοὺς πιστεύοντας. — V. seq. καθάπερ ἀπὸ κυρίου πνεύματος causam continere arbitror, cur in splendidam imaginem immutemur, quae haec est, quod per Christum, qui sit κύριος πνεύματος transfiguremur. Nam κύριος πνεύματος nihil est, nisi circumlocutio Christi, sic appellati non solum propterea, quod dominus est hominum, in quibus summa est spiritus s. efficacia (1 Cor. 3, 16. Col. 1, 18), sed etiam, quoniam ille est, per quem deus hominibus confert spiritum πλουσίως Tit. 3, 16. Itaque in splendidam, inquit, imaginem permutamur, quoniam a Christo transformamur, cuius summa est δόξα (1 Cor. 2, 8.) Reliquum est, ut quaenam sit ἡ αὐτὴ εἰκών, in quam transfigurari nos oporteat, paucis videamus. Christi est ipsius imago, quam modo δόξαν κυρίου

dixerat, quod non magis e verbis ipsis, quam ex aliis locis paullinis recte concluditur. Nam cum *δόξαν κυρίου* conspici a nobis per speculum, quod e rebus, quas ostendit, aliquem reflectit splendorem, dixisset, *ἡ αὐτὴ εἰκών*, in quam permutamur, non potest alia esse, quam quae est animadversa in speculo *δόξα κυρίου*. Itaque haec nascitur v. 18. sententia: Nos Christiani velo levati et *δόξαν κυρίου* videmus et quod maius etiam est, eius compotes reddimur. Haec enim suavissime mulcet Apostolum spes, fore, ut, qui Adami (*τοῦ χοϊκοῦ* 1 Cor. 15, 49) similitudinem corpore caduco, fragili et aerumnoso gestaverimus, Christi aliquando e coelo reducis (Phil. 3, 20) imaginem referamus (1 Cor. 15, 40. Rom. 8, 29), quippe qui *μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ* (Phil. 3, 20), ut recte appelletur (Col. 1, 27.) *ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης*.

Restat explicatio versuum, qui finiunt hanc P. disputationem, sex sequentium, quam tamen, quoniam plura verba desiderat, ne lectoris patientiam in loco oblectationis non adeo pleno nimium nunc tentasse videar, ad alterum de hac epistola conscriptum proximeque in lucem emittendum libellum reiicere placet.

---

tiam addens, ut totius versus huc redeat sensus: *in hoc corpore male nos habentes suspiramus et coeleste superinduere gestimus.* Formula autem τὸ οἰκητήριον τὸ ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύσασθαι, quae per se nulla laborat difficultate *), explicari debet ex opinionibus Paulo peculiaribus. Nam cum ad regnum messianum se etiamnum superstite (I. Cor. 10. 11.) Christum de coelis rediturum esse certo confideret, illud magnopere quaerebatur, quomodo qui nondum hac vita per mortem excessissent, ut per resurrectionem ad ἀφθαρσίαν regnique div. felicitatem pertingere possent, immortalitatis beatitatisque messianae compotes redderentur. Itaque hos speravit non interveniente morte statim in for-

*) Mire primo aspectu dixisse P. videtur οἰκητήρ. ἐπενδύσ., quod ne prorsus intolerabile credas, reputandum est, saepe hoc nobis scribentibus accidere, ut imprudentes inchoatam tralationem perturbemus, ita ut eiusmodi verba adiiciamus, quae vel alii in eadem re usitatae metaphorae, vel rei propriis vocabulis expressae conveniant. Hoc videre licet 2 Cor. 2, 14., ubi dicit, Φανεροῦν ὀσμὴν γνώσεως, cum tamen φανεροῦν nonnisi τῇ γνώσει, quatenus est μυστήριον τ. Χριστοῦ Col. IV. 4, aptum sit. Illud valet de nostro loco, ubi Ap. ad οἰκητήρ. τὸ ἐξ οὐρ. ponit verb. ἐπενδυσ., quod recte adhibuisset, si, quemadmodum Rabbini saepe faciunt [v. c. Sohar. Genes. f. 119. c. 474. *Sunt tria vestimentorum genera.* Primum est דמתלבשא בהווא לבושא רוחא. Alia exempla vide apud Schoettg. Hor. hbr. et talm. p. 693.] corpus cum veste, qua mens humana involvatur, comparasset. [Etiam in libris s. Sabaeorum corpus cum veste comparatur, quod ibi dicitur ܠܒܘܫܐ ܦܓܪܐ v. Norberg. de rel. Sabaeorum p. 28.] Simillima autem formulae οἰκητήριον ἐπενδύσασθαι est locutio, quam attulit Edm. Castellus in Lex. hept. s. v. לבש, cum dicitur homo ad machinationes compositus ܠܒܝܫ ܢܟܠܐ *indutus fortis.*

nam regno divino consentaneam transformatum iri (I Cor. 15, 52.), quod ipsum nostro loco vestium similitudinem premens dicit superinduere coeleste corpus (sc. terrestri) et multo mavult (v. 4.) ita ad ζωὴν αἰώνιον pervenire, quam per mortem et resurrectionem, haud dubie, quod hanc quasi compendiariam esse putavit ad vitam aeternam viam; qua et mortis asperitatem effugere, et ne diutius apud inferos detentus Christi consuetudine careret, evitare posset. — Sequuntur verba perdifficilia haec: εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι (ἐκδυσάμενοι alii) οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα. Prius de lectione ἐκδυσάμενοι dicemus: Paucos haec habet auctores, inter quos eminet Chrysost., qui tamen ἐνδυσάμενοι praefert (Τινὲς δέ φασιν, inquit, ὃ καὶ μάλιστα ἐγκριτέον, εἴπερ καὶ ἐνδυσάμενοι); versio latina vetus (apud Pt. Sabatierium Bibl. sacr. Vers. ant. lat. T. 3. p. 738.); quae ita habet: si tamen et *spoliati* non nudi inveniamur et Tertull., qui de res. c. p. 583. b. *exuti* et c. Marc. p. 794. b. *despoliati* praebet. Sed haec tamen lectio magnopere ab huius loci natura abhorrere videtur. Nam qui eam recipiat, cum Chrysostomo (quem secuti sunt T. Beza, Millius Proleg. 473. Ernest. Neue theol. Bibl. T. II. p. 410 alii, nuper Schleusn. et Stolz.) ita explicare debeat: ἐκδυσάμενοι τουτέστι κἂν ἀποθώμεθα τὸ σῶμα, οὐ χωρὶς σώματος ἐκεῖ παραστησόμεθα h. e. quamquam (ante domini reditum) morte hoc corpus deposuerimus, non tamen aliquo corpore ibi (sc. ἐν ἡμέρᾳ χριστοῦ) carebimus. Quae explicatio hoc vitii habet, quod v. 3. ita cum v. 2. non cohaerens peculiarem efficit sententiam (v. 2. Volo vivus immortale corpus superinduere. v. 3. *Sed etiamsi* oppetere mortem debuero, vel sic tamen aliquod corpus habebo), quod tamen

non admittit particula εἴγε, quae clare indicat, versum tertium sententiam versui secundo explicationis causa adiectam continere. Accedit, quod P. se ante Christi adventum mortem occubiturum esse non speravit, et v. 3. nullo vinculo neque cum v. 2., neque cum v. 4. cohaeret, ut ita quidem universi loci nexus vehementer turbatus sit. Nam si, quemadmodum Chrys. vult, hoc diceret V. 3. Ap.: *si moriar ante domini reditum, non mihi mors fraudi erit, quod vel sic corpus habebo,* non appareret, neque cur tantopere ἐπενδύσασθαι cupierit v. 6., neque cur ἐνδύσασθαι, quam ἐκδύσασθαι maluerit v. 4. Fortasse tamen hoc alicui in mentem veniat, illud εἴγε sq. verbi ἐπενδύσασθαι explicandi causa positum esse h. modo: *superinduere,* (ἐπενδύσασθαι) inquam. Nam post mortem quidem nudi corpore esse non possumus. Haec interpretatio multis de causis inepta est; primum quod ἐπιποθοῦντες ἐπενδύσασθαι contra apertam v. 4. sententiam, qui P. adhuc superstitem recipere voluisse immortale corpus docet, ita referri deberet ad tempus, quo tolerata iam morte sub regni mess. initia coelesti corpore amiciendus fuisset, deinde propter sententiam ipsam, quam nemo facile conciliaverit. *Vivus superinduere* volo, siquidem *etiam post mortem* non nudus sum futurus, ubi posterior sententia (siquidem etc.) priorem non probat, quod illa de tempore post mortem (καὶ ἐκδυσάμενοι) agit, haec de eo, quo P. adhuc vivebat (ἐπενδ. ἐπιποθ.), et quod verba εἴγε etc. non demonstrant, recte Paulum voc. ἐπενδύσασθαι usum esse. Nam si non nudus erat futurus, licuit quidem Apostolo inde colligere, se aliquod tegumentum habiturum esse (ἐνδύσασθαι), non autem illi, quo iam ornatus esset, aliud superaddi-

turum, quod est ἐπενδύσασθαι quasi *duobus vestimentis* se induere.

Itaque cum hae quidem huius lectionis explicationes non fundant sensum loco nostro accommodatum, ipse autem non aliam videam verbis et sententiis magis aptam, non possum non ad eorum me applicare societatem, qui ἐκδυσάμενοι aut per errorem librariorum, qui saepenumero ἐν et ἐκ in vocabulis compositis confuderunt, (cf. Matthaei ad h. l.) aut ab iis illatum existimarent, quibus inepta sententia retento v. ἐνδυσάμενοι exitura videretur, cum veste indutum non nudum esse per se intelligi putarent. Nunc nostrum est quaerere, quomodo ἐνδυσάμενοι multis illud modis tentatum ab interpr. explicari oporteat. Alii, ut Knachtbullus et Hombergius a Wolfio excitati, quos nollem Schottus secutus esset, optative εἴγε ita interpretantur: Utinam quando domilium coeleste induam, non (antea) nudus esse (praesens domicilium exuere) debeam! Quam quidem sententiam supersedemus refutare, cum otia nobis fecerit Emmerl., qui in disputatione de II Cor. 5, 1—10. Lips. 1815. p. 12., cur admitti illa nequeat, docte exposuerit. Alii, ut Chrysostomus cum suis vel aemulatoribus, vel pedissequis Theodor. Theophyl. Oecumen. ita statuunt: ἐνδυσάμενοι idem esse, quod ἐπενδυσάμενοι (σῶμα ἄφθαρτον λαβόντες), γυμνοὶ significare γυμνοὺς δόξης καὶ ἀσφαλείας et Apostoli consilium hoc esse: ἵνα μὴ ἀπὸ τῆς ἀναστάσεως πάντες θαῤῥῶσι. Nam ἡ μὲν ἀνάστασις κοινὴ πάντων, ἡ δὲ δόξα οὐκέτι κοινή, ἀλλ' οἱ μὲν ἐν τιμῇ, οἱ δὲ ἐν ἀτιμίᾳ καὶ οἱ μὲν εἰς βασιλείαν, οἱ δὲ εἰς κόλασιν ἀναστήσονται ut haec P. mens fuerit: superinduere gestimus, siquidem nos immortali corpore circumdati, (quod nolite credere omnibus ita

eventurum) praeter immortalitatem etiam δόξαν adepturi sumus. Multa obstant huic interpretationi, ut illud, quod temere sumitur, γυμνοὺς esse γυμνοὺς τ. δόξης, cum in hac Allegoria non possit esse, nisi qui vestimento h. e. (ut infra videbimus) *immortali corpore* (ἀφθαρσίᾳ) careat, deinde quod καὶ non ante ἐνδυσάμενοι, sed ante οὐ γυμνοὶ collocari debuisset, tum quod non simpliciter εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι, sed εἴγε ἡ μ ε ῖ ς καὶ ἐνδ. οὐ γ. εὑρεθησ., quo se, qui praeter ἀφθαρσίαν etiam δόξαν adepturus esset, distincte opponeret illis, qui ἀφθαρσίας tantummodo compotes futuri essent, scripsisset Apostolus. Accedit huc, quod sententia ipsa: *nos, quod non omnes consequentur, δόξῃ quoque aliquando gaudebimus* non est hominis, cuius, dum sensu huius corporis molestiarum perfusus in meliorem conditionem intentus est, commotior animus ab eiusmodi sedati hominis vel gloriatione, vel admonitione, vel institutione vehementer abhorret, quod v. 4. ita non cohaeret cum v. 3, ne alia commemorem. — Alii (ut Iasp.) v. 3. non vanam esse immortalis corporis spem dici rati eandem sententiam bis, primum positive (ἐνδυσάμενοι), deinde negative (οὐ γυμνοὶ) enuntiatam esse putaverunt h. modo: *superinduemus. Nam vestiti erimus, non nudi.* Sed v. 3. εἴγε sq. perperam ad ἐπενδύσασθαι solum referunt, cum v. ἐπενδυς. ἐπιποθ. coniunctim explicare debeat, ut rationem, cur *superinduere velit* Ap., reddat, quae reprehensio etiam cadit in illam Chrysostomi sententiam, deinde καὶ si cum ἐνδυσάμενοι coniungunt, quominus post ἐνδυσ. commate interpungatur, prohibet, cum iudicio sit, hanc unam esse sententiam καὶ ἐνδυσ. — — εὑρεθησ., sin ad omnia huius versus verba pertinere arbitrantur, alienior tamen ab h. l. sen-

tentia evadit, ubi non hoc agitur, ut ratam fore aliquando suam de superinduendo immortali corpore spem ostendat Ap., quam potius, ut, cur terrestri corpore liberatus ἀφθαρσίαν sibi assumere tantopere cupiat, declaret. Quae argumenta etsi nullam illis habere videbuntur necessitatem interpr., qui ut sua commenta eo pacto, quo nihil non excusare licet, defendant, Paulum pro istiusmodi scriptore habent, qui, ut confuse notiones mentem fervidam subierint, ita perturbate in chartam coniecerit, iidem tamen illam multo praeponendam explicationem confitebuntur, quae has quoque offensiones feliciter evitaverit, nisi forte ingentes ubique turbas movere interpretis censent. Sed illud de Emmerl. sententia, qui Grotii fere interpretationem revocavit *); minime confirmaverim. Putat et hic sublata plena interpunctione post ἐπιποθ. versum 3. arctissime cum v. 2. cohaerere ita, ut εἴγε sq. rationem, cur ἐπενδύσασθαι se speret, afferant, post ἐνδυσάμ. autem commate distinguit. Nam cum ἐπενδύσασθαι sit aliud praeter mortale recipere corpus ἄφθαρτον, Allegoriae constantiam flagitare arbitratur, ut ἐνδυσάμενος dicatur, qui praesenti duntaxat corpore utatur et γυμνός, qui nullo gaudeat h. e. qui mortuus sit. Unde haec emergit sententia: Superinduam, quandoquidem (εἴγε recte contendit non esse sumentis cum dubitatione, sed ponentis certa (l. l. p. 11.) cf. Herm. ad Viger. p. 833.) in vivis, non mortuus ero. (sc. tempore reditus domini.)

*) Grotius, qui ita v. 3. explicat: *siquidem inter mutandos, non inter mortuos erimus*, eo solum distat ab Emmerl., quod ille εἴγε esse addubitantis apostoli, an ἐν ἡμέρᾳ χριστοῦ adhuc superstes esset futurus, opinatus est.

In qua interpretatione quamquam nihil est, quod aut legibus Grammatices valde adversetur, aut Pauli sententiis repugnet, quem satis constat (1 Thess. 4, 15) usque ad Christi reditum vitam suam se protracturum credidisse, illud tamen, quominus eam assensu meo probem, impedit, primum quod alienum esse videtur ab Apostoli animo, ut nunc quidem affectus est, ubi praesentium malorum sensu perculsus melioris futurae conditionis desiderio tenetur, aliqua sententia quasi probare, se illo modo ad ἀφθαρσίαν pertingere per se clarum esse; cum in tali conditione constitutus cupiditatis vehementiam potius, quam certam de spe persuasionem quisque exposuisset. Deinde nihil omnino causae fuit, cur hoc adiiceret, se vita sua tempus τῆς ἐπιφανείας Χριστοῦ attacturum esse, quod nemo facile in dubitationem vocasset, quoniam Christi reditum proxime instare tum quidem quivis exspectaret. Praeterea καὶ ante ἐνδυσ. explicando prorsus praetermissum est ab Emmerl., quod si in formula εἴγε καὶ abundare e Gal. 3, 4. ostendi posse existimavit, haud leviter erravit*). Sed

*) Gal. III, 4. Τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῆ; εἴγε καὶ εἰκῆ! Dissentiendum mihi est a praestantiss. Winero, praeceptore pie colendo, [vid. Comment. p. 50.] non minus in explicatione voc. πάσχειν, quam in his verbis εἴγε καὶ εἰκῆ! Nam quod πάσχειν sensu bono praeter h. l. in N. T. non occurrit; vix potest eo valere, ut quem orationis nexus flagitat [de beneficiis enim christianis sermo est, quae ἐξ ἀκοῆς πίστεως Galatis nata esse P. affirmat v. 2. τὸ πνεῦμα ἐλαβέτε v. 5. ὁ ἐπιχορηγῶν ὑμῖν τὸ πνεῦμα καὶ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν, non de calamitatibus, quas propter Christi causam perpessi fuissent] sensum deseras. Nam casu potius, quam quod hunc vocabuli graeci usum nostri ignoraverint, factum crediderim, ut praeter h. l. hoc significatu in N. T. non legatur. — V. εἴγε καὶ εἰκῆ ita explicat W.:

nolumus plures aliorum sententias commemorare, quoniam vel iis, quas iam confutare conati sumus, valde sunt finitimae, ut in eadem paene crimina vocari debeant, vel eius indolis sunt, ut refutatione prorsus indignae videantur. Itaque nostram qualemcunque de h. l. sententiam statim expromere placet. Versum 3, ut per εἴγε aliter fieri non potest, tam arcte cum v. 2. coniungimus, ut unam cum eo sententiam efficiat, sed non explicandi v. ἐπενδύσασθαι causa eum cum aliis interpr. adiectum arbitramur, imo propter verba ἐπενδύσασθαι ἐπιποθοῦντες, ut rationem, cur Apost. tantopere ἐπενδύσασθαι cuperet, idoneam afferat. Quapropter haec nostra est interpretatio: *Superinduere* (immortale corpus vivi ad nos recipere) *volumus, quandoquidem* (quod certo scimus et satis constat εἴγε) *etiam superinduti* (immort. corpore) *non*

---

si quidem frustra h. e. quod deus avertat; puto enim vos ad meliorem frugem in tempore redituros esse. Sed ita εἴπερ scribere Ap. debuisset: tam multa frustra passi estis? Recte, si quidem, quod nescio, certe non spero (εἴπερ), frustra calamitates pertulistis. Quocirca malim sic interpretari: Frustra tanta beneficia vobis evenerunt? *Ita sane est; nam* (εἴγε) *etiam* frustra vobis contigerunt, quod ita etiam dici potuisset: non solum vobis contigerunt, sed etiam frustra contigerunt εἴγε τοσαῦτα οὐ μόνον ἐπάθετε, ἀλλὰ καὶ εἰκῇ ἐπάθετε. Matth. X. 30. ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί· non solum ceteras vestras res, sed etiam capillorum vestrorum numerum novit deus. Sophocl. Philoct. 654. ἆρ᾽ ἐστὶν ὥστε κἀγγύθεν θέαν λαβεῖν i. e. non tantum e longinquo, sed etiam e propinquo. Eurip. Heracl., 952 — τί γὰρ σὺ κεῖνον οὐκ ἔτλης ἐφυβρίσαι; ὃς καὶ παρ᾽ ᾅδην ζῶντά νιν κατήγαγες etc. plene: qui non solum alios ei iniunxisti labores, sed etiam in Tartara eum demisisti. Quam particulae καὶ rationem praeclare illustravit Herm. ad Soph. Oed. Tyr. 414.

nudi sc. *hoc immortali corpore sumus futuri* h. e. *quandoquidem vel sic ad regni mess. ἀφθαρσίαν pervenimus.* Haec explicatio quemadmodum nihil falsi continet, ita huic loco aptissima est. Nam quod ἐνδυσ. sic explicuimus, quasi ἐπενδυσ. scriptum legeretur, non potest offensioni esse; cum proxime praecedente verbo ἐπενδυσ. neque opus Apostolo esset, accuratius hoc vocabulum repetere, et ἐνδύσασθαι, quoniam generis vocabulum est, notionem, quam illud habet, simul comprehendat. Deinde καὶ ante ἐνδυσ. non ita explicandum est, ut conditio eorum, qui corpus immortale superinduerunt, illorum opponatur statui, qui nondum ἀφθαρσίαν superinduerint h. sensu: *non magis, corpore coelesti amicti, erimus nudi, quam nunc, ubi hoc praesenti inclusi tenemur:* sed est referendum ad alterum modum, quo christiana antiquitas sibi finxit ad ἀφθαρσίαν eos pervenire, qui ante Christi reditum diem obiissent, ut per resurrectionem, cui dominum praeficiebant, in corpus regno div. aptum transformarentur, quem modum P. haud dubie v. I. in mente habuit, cum omnino in locum huius corporis eversi immortale suffectum iri contenderet (οἴδαμεν seq.). Itaque sensus hic nascitur: Immortale corpus superinduere volumus, *quandoquidem etiam superinduti* (h. e. quamquam non per mortem et resurrectionem σῶμα ἄφθαρτον accipiamus) non nudi sc. immortali corpore sumus futuri h. e. *quandoquidem vel superinduendo ἀφθαρσίας compotes fieri licebit.* Cui interpretationi non speramus quemquam hoc obiecturum esse, voc. γυμνοὶ non posse de iis, qui ἀφθαρσίᾳ careant, intelligi. Nam cum P. h. l. nonnisi de tempore, quo Christus rediisset, loquatur, quoniam in regno demum mess. immortalita-

tem alterutro modo consequi Christiani possent, post hunc autem domini reditum omnes regni mess. cives induere immortalitatem (ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, ἐνδυσ. ἀθανασίαν, 1 Cor. 15, 53.) deberent, vel ita, ut mortui e sepulchris ἄφθαρτοι (1 Cor. 15, 52. Καὶ οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθαρτοι) prodirent, vel ut ~~superstites mu~~tationem experirentur (Ibid. καὶ ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα), satis apparere arbitror, qui ibi non induerit immortalitatem, eum nudum (γυμνὸν) recte dici. Itaque non tres in hac ab amictu ducta Allegoria, quemadmodum Emmerl. putavit, distinguuntur personae: qui superindutus (ἐπενδυσ.), qui indutus (ἐνδυσ.) et qui ne indutus quidem sit (γυμνός), sed duae: qui ἀφθαρσίαν adeptus est (ἐπενδυσ. et ἐνδυσ.) et qui eam non recepit (γυμνός). Ineptus fuerit, qui ita cavilletur, hoc vel non monente P. apertum fuisse, qui ἀφθαρσίαν corpori superinduerit, eum non nudum esse, quoniam superinduisset. Non enim hoc P. adiecit quasi demonstraturus, quod dubitationi obnoxium esset, sed ut repetens, quod satis sciretur, propterea, quod ratio, cur magno superinduendi desiderio flagraret, eo contineretur, haec: ἀφθαρσίαν superinduendo non minus sibi consequi licere, quam per mortem et resurrectionem. Denique v. 4. nostrae explicationi apprime secundus est. Volo superinduere, inquit, nam in hoc corpore ad calamitates valde ingemisco (καὶ γὰρ — βαρ.) et propter hanc ipsam malorum molem (ἐφ᾽ ᾧ) nolo quidem, *ut haec propulsetur*, mortem oppetere (ἐκδυσ.) (nam mors acerba est), sed huic statim corpori immortalitatem adiungere, qua τὸ θνητὸν quasi absorbeatur, vehementer cupio. (Nam superinduendo corpore immortali hoc utrumque consequor, ut et corporis malis lever, et ad exoptatam

ἀφθαρσίαν non minus pertingam, quam si vita ante excessero.) (οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα v. 3.). Sed nolo pluribus agere de hac explicatione, ut mihi quidem videtur, et facili et perspicua, quamquam, qualis sit, viri in interpretatione N. T. exercitati melius iudicabunt.

In quaestionem vocare nunc placet eam Emmerlingii sententiam, qua e Cap. 12, 2 sq., ubi P. suam per portentum illud in itinere Damasceno divinitus oblatum (Act. IX.) ad rem Christ. in mente habuerit conversionem, bene constitui posse scriptae huius epistolae tempus existimavit. Quae cum eo unice nitatur, ut illam ipsam, non aliam quandam nunquam alias ab Apostolo commemoratam ὀπτασίαν Paulus significaverit, qui illud in dubitationem recte adduxerit, disputationis Emmerlingianae (Prol. pag. 15 sq.) vel fundamenta concusserit. Quod non adeo difficile esse videtur; minus enim firmiter iacta sunt. Nam cum in hoc tanquam cardine vertatur illa sententia, ut et 2 Cor. 12. sermo sit de ecstasi quadam Pauli, et ea loca, ubi de miraculo illo, quo ad Christum perducebatur, non impediant, quominus Apostolum in profectione Damascum suscepta ecstasi potius, quam aliquo prodigio extrinsecus oblato et oculis auribusque percepto attonitum Christo se addixisse censeas, illud debeo largiri, loqui Paulum 2 Cor. 12. de ecstasi (cf. v. 2. 3. εἴτε ἐν σώματι etc. v. 4. ὅτι ἡρπάγη etc.) et de tali quoque, quae *sibi* divinitus contigerit, mentis abalienatione (2 Cor. 12, v. 1 et 7.), hoc tamen confidenter nego et pernego, miraculum, inter proficiscendum in Paulo factum posse ad animi ecstasin trahi. Frustra est Emmerlingius,

quum inde aliquid roboris ad suam sententiam accedere putat, quod et 2 Cor. 12, 1 sq. ad ὀπτασίας sibi concessas P. referat ecstasin, qua in tertium usque coelum raperetur, et Act. XXVI, 19. illam ipsam speciem coelestem, quam in via vidisset, ὀπτασίαν coram Agrippa appellet. Nam ὀπτασίας vocabulum latius patet comprehendens species coelestes sensibus vere perceptas non magis (Luc. 1, 22. Zacharias ὀπτασίαν ἑώρακεν ἐν τῷ ναῷ, ad quem Gabriel se vere demiserat), quam imagines a sola mente furore divino percita animadversas (v. c. hoc loco.), ut ἔκστασις quidem semper ὀπτασία sit, sed non contra ὀπτασία continuo ἔκστασις. Alterum vero Emmerlingii argumentum, quo talem, qualis nostro loco narratur, ἔκστασιν optime convenire in hominem contendit, qui per triduum corpus non aluerit et oculorum luce caruerit (Act. IX, 9.), falsissimum est. Nam ipsum visum coeleste ademit Paulo lucem et Damasci demum cibo abstinuit. (Act. IX, 8. 9.) Ceterae, quas affert, rationes etiam infirmiores sunt haec: non verisimile esse, Paulum, qui iam in eo esset, ut hominibus laudes suas venditantibus sua, quibus recte gloriaretur, decora opponeret, illud, quod maxime memorabile fuerit, et saepe alias ab ipso celebratum reticuisse, de alio obscuriori illo neque unquam commemorato iniecisse mentionem. Quasi vero Paulo non eodem iure, quo ad suam beneficio divino effectam conversionem h. l. provocasset, aliam quandam ἀποκάλυψιν κυρίου ita vehementem, ut in supremum coelum sublatus sibi videretur et ita nobilem, ut quatuordecim annorum decursus eius memoriam in ipso obliterare nequiverit, tanquam disertum divini favoris documentum proferre licuerit. Nam ut saepius per suas epistolas prodigiosae illius ad

Christum invitationis memoriam repetiverit (Gal. 1, 1. 12. Ephes. 3, 12. 1 Cor. 15, 8. *ἔσχατον δὲ πάντων ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι ὤφθη κἀμοί* *) alibi),

---

*) Haec verba praestantissimus Schulthessius (in *Keil's* und *Tzschirner's* Analekten I. B. S. 212 sq.) ita explicanda censuit: *postremo etiam mihi, tanquam familiae suae filio natu minimo* (Spätling) *Christus apparuit.* Quemadmodum, inquit, filio ultimo loco parentibus nato, ut patrem postremus videat, contingit, ita Christus, postquam ceteris Apostolis omnibus iam apparuerat, postremo se Paulo novissime vocando conspiciendum praebuit. Quam interpretationem vix dici potest, quot quantaque premant incommoda. Nam primum quidem ἐκτρώματος vocabulum nunquam significat infantem ultimo loco enatum aut paene vi procreatrice a parentibus susceptum (qualem auctore quidem Schulthessio Helvetii dicunt ein Nachweiselchen), quod clare intelligitur e Grammaticorum veterum explicationibus (cf. Phrynich. Eclogae ed. Lobeck p. 208 sq.) interpretumque Commentariis (cf. Theodor. Theophyl. Oecum. ad h. l. et Polychronius in Catena ad c. III Iobi p. 128), ubi nusquam hunc significatum notatum invenias. Ad Theophylactum auctorem provocare propterea non licuit Schulthessio, quoniam ille hanc interpretationem non ut suam affert, sed ut aliorum parum probabilem argumento non infirmo refutat. Nam bene exposita probataque vulgari interpretatione ita pergit: Τινὲς δὲ τὸ ὕστερον γέννημα ἔκτρωμα ἐνόησαν, διότι καὶ αὐτὸς ἔσχατος τῶν Ἀποστόλων. Οὐκ ἐλαττοῦται δὲ ὁ Παῦλος, διότι ἔσχατος εἶδε τὸν κύριον, οὐ γὰρ Ἰάκωβος ἐλάττων τῶν ἄλλων [illegible], ὅτι ἔσχατος ἐκείνων εἶδε τὸν κύριον. Unde eum propterea improbare hanc explicationem perspicuum est, quod e. v. 9. ἐγὼ γάρ — τοῦ θεοῦ Apostolum τῷ ἐκτρώματι aliquam suam reprehensionem innuere appareat, propter quam sit ceteris Apostolis inferior, quam in hoc, quod ultimus dominum conspexerit, inesse posse negat exemplo Iacobi allato, cui nihil de dignitate eo decesserit, quod Christus satis sero iterum se ei ostendisset. Recte. Nam qui sine cupiditate ad h. l. accesserit, propterea se Paulum ἔκτρωμα appellasse ob. v. 9. concedet, quod se indignum honorifico Apostoli

quisnam tandem eum hic quoque illam rem in animo habuisse praefracte confirmet, praesertim cum

---

nomine existimaret. Itaque illos ipsos, qui teste Theophylacto ἔκτρωμα per ὕστερον γέννημα explicuerunt, non tam ductos usu loquendi, ut ἔκτρ. illud significare illis constaret, crediderim, quam deceptos vocabulis ἔσχατον δὲ πάντων ὤφθη κἀμοὶ cum ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι ad totam hanc sententiam male retulissent, philosophando illam potestatem ita effecisse, ut, quod saepe decrepita aetate quae concepissent mulieres, abortum facere scirent, ἔκτρωμα foetum in aetatis flexu conceptum editumque κατ' ἐξοχὴν dici opinarentur. Sed non minus infesta est Schulthessii sententiae particula comparativa ὡσπερεί. Nam ut ille quidem explicuit, comparatio non perfecta est. Quemadmodum patrem, inquit, liber natu minimus postremo videt, ita P. novissimus Apostolus omnium ultimus Christum conspexit. Sed ubinam ille pater? Si hunc haberem vel diserte expressum (ἔσχ. δ. π. ὥσπερ τῷ ἐκτρώματι ὁ πατήρ, ὤφθη κἀμοὶ sc. τῷ ἐκτρώματι), vel ita, ut patris notio in Christi vocabulo, qui in antecedentibus cum patrefamilias compositus esset, lateret (χριστὸς, cum patre antea comparatus, ἔσχατον πάντων ὤφθη κἀμοὶ τῷ ἐκτρώματι) certe, priusquam v. 9. legissem, non valde repugnarem. Itaque, quamquam Schulthesio vulgata ab ecclesiae gr. Patribus (Theod. Theoph. Oecum.) usque ad nostrae memoriae interpretes propagata illa, portento similis (Anal. I. I. p. 213.) et talis visa est, quam sana mente (Anal. II. St. p. 169) inire nemo possit, tamen malo huius vanitatis crimen apud Schulthessium incurrere, secutus eam, quam Apost. ipse clare monstrat v. 9. tralationis explicationem, quam vestigia vel Schulthessii, vel aliorum, qui, dum de vocabulo ἐκτρ. philosophantur, ad P. consilium connivent, premens alienam ab huius loci natura amplecti interpretationem. Nam ὡσπερεὶ minime illi adversatur, ut Sch. vult, quod posuit Ap. quasi excusans asperiorem tralationem (constat enim esse hoc vocab. inter μειλίγματα τῶν θρασέων μεταφορῶν cf. locum e Longino a Wetstenio allatum), et v. ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι non pertinent ad universam sententiam ἔσχατον etc., ut rationem, cur Christus postremo se Paulo ob-

historia doceat, hominem fervidum et summo rerum christianarum amore perfusum interdum mentis abalienationem passum esse? (Act. XXII, 17.) Sed infirmatis sic breviter Emmerlingii argumentis restat, ut quo uno demonstrato tota eius concidisset sententia, non per ecstasin Paulo in profectione Damascena Christum apparuisse ostendam, sed per aliquem splendorem extrinsecus visum, aut per aliquam vocem vere auditam. Quod quidem ex hoc uno, opinor, clare intelligitur, quod eandem speciem, quae Paulo obiiceretur, non solum comites quoque eius animadverterent, ut vel vocem, quae coelitus accidisset, quemadmodum legitur Act. IX, 7., non magis auribus perciperent, quam Apostolus, vel lucem coelestem, quae est huius narrationis apud Lucam repugnantia Act. XXII, 9., aeque ac Paulus ipse viderent, sed etiam ita portento divino consternarentur, ut cum Paulo simul humi procumberent Act. XXVI, 14. Itaque non dubitari potest, quin ἔκστασις Pauli, quam refert 2 Cor. 12., diversa sit

---

tulerit, contineant hanc: quod ipse sit τὸ ἔκτρωμα, se ultimum vidisse Christum, quae opinio Schulthessium ad suam, qua tantopere delectatur, sententiam perduxit, sed ad κἀμοὶ, ut duas hic v. sententias habeat has: *Christus postremo mihi apparuit* ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι (sc. ὄντι, cf. Pausan. III, 15. 395. οἰωνὸς ἡλικίαν μὲν μειράκιον Athenaeus XIII. 78. 180. ὅς μειράκιον εὔμορφον — ubi quidam V. D. rei facilitatem solam contuiti, ut inveherent ὄν Partic. induci se siverunt), qui sum quasi h. e. *et ego sum quasi abortivus*, quoniam ut abortus aegre hominis nomine dignus sit, ita mihi vix honorifica Apostoli competat appellatio (v. 9. ὅς ἀπόστολος). Ceterum intellectu non difficile est, lectionem τῷ praestare alteri τῳ, quoniam h. l. P. cum ceteris Ap. se comparans quasi κατ' ἐξοχὴν ἔκτρωμα est. (cf. v. 9. ὁ ἐλάχιστος. Ephes. 3. 8. ἐμοὶ τῷ ἐλαχιστοτέρῳ πάντων ἁγίων. Pariter lectio τῷ I, Thess. 4, 6. non videtur sollicitanda esse.

a specie in itinere Damasceno ita extrinsecus oblata, ut, qui una proficiscerentur, pariter ea, atque ipse, moverentur speroque neminem non in Chrysostomi sententiam concessurum, qui sic de P. ἐκστάσει 2 Cor. 12. iudicat: *μεγάλη μὲν αὕτη ἡ ἀποκάλυψις, οὐκ αὐτὴ δὲ γέγονε μόνη, ἀλλὰ καὶ ἕτεραι πλείους, αὐτὸς δὲ μίαν ἐκ πολλῶν τίθησιν.* Quae si recte disputata sunt, Emmerlingio, si scriptam esse anno Claudii decimo tertio aut quarto nostram epistolam existimabit defendi posse, alia certe, ut suam sententiam fulciat, ineunda erit via.

Agmen claudat brevis explicatio verborum *ἥδιστα μᾶλλον* 2 Cor. 12, 9. quae interpretes tantum non omnes ita coniuncta esse arbitrantur, ut *μᾶλλον* aliquo modo notionem, quae voc. *ἥδιστα* continetur, intendat *), in eo tantummodo discrepantes, quomodo *μᾶλλον* ad superlativum referri oporteat. Nam alii (ut Schulzius *ἥδιστα μᾶλλον* pro *ἥδιον μᾶλλον* positum existimarunt, quod si legeretur, non multum sane dubitationis relinqueret. Saepissime enim *μᾶλλον* cum alio Comparativo ut huius notionem tanto fortius exprimant, Graecos componere constat (cf. Matth. ausf. gr. Gr. §. 458. Exempla multa attulit v. c. Wyttenb. ad Plut. Op. mor. p. 238. ed. Lips.) E N. T. haec habeto: Phil. I, 23. *πολλῷ γὰρ μᾶλλον κρεῖσσον.*

---

*) Sic iam Syrus statuisse videtur, qui nihil, nisi ἥδιστα (ܒܣܝܡܐܝܬ) convertendum esse sibi putavit; e recentioribus nominasse sufficiat Schottum et Stolzium, qui v. graeca ita reddidit: Ich will mich also am liebsten meiner Leiden rühmen.

Marc. 7, 36. μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον. Nihilominus tamen offendere deberet, utrumque Comparativum (ἥδιον μᾶλλον), quem, ut fieri consentaneum est, allata exempla proxime semper coniungi ostendunt, hic voculam οὖν dispescere, ut credibile sit, Apostolum pro οὖν, quod post duo vocabula collocari non potuisset, aliam particulam adhibiturum fuisse. Sed quorsum haec? Non enim ἥδιον μᾶλλον, sed ἥδιστα μᾶλλον scripsit Ap., quod pro ἥδιον μᾶλλον dictum esse nullis vel argumentis, vel exemplis doceri potest. Itaque novam rationem iniit Wahlius (In Clavi pag. 535.) qui μᾶλλον absque Copula cum ἥδιστα compositum esse putavit pro ἥδιστα οὖν καὶ μᾶλλον i. e. μάλιστα καυχήσομαι, provocans ad Fischerum ad Well. T. III. P. I. p. 330. Frustra. Nam ibi Fischerus, quod interdum fieri nemo ignorat, Graecos Comparativum et Superlativum simul per copulam ad unum subiectum referre idoneis exemplis docuit, quibus tamen omissam hic copulam ante μᾶλλον neque explicari, neque excusari in promtu est. — Mihi quidem difficultates omnes evanescere videntur, si μᾶλλον arctius cum v. καυχήσομαι construas h. sensu: *magis gloriabor*, quod huic loco aptissimum est. Nam v. 5. Ap. se tantummodo in suis malis aliquam gloriolam quaesiturum esse contenderat, quorum tamen ex parte a Satanae angelo inflictorum mole paene oppressus cum iam saepius dominum, ut illa tollerentur, precibus adiisset, abnuisse Christum, hac usum voce: in te recipere debes malorum onus; nam in afflictis hominibus maxime, quid possim, emergit (ἡ γὰρ δύναμις μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται.) Itaque, pergit P., lubentissime *magis etiam* (sc. quam cum nondum hoc responsum domini tulissem

cf. v. 5 sq.) propter meas calamitates in posterum gloriabor, ut Christi efficacia suam virtutem exserere in me possit; tantum abest, ut iis liberari velim, ut in maiori etiam, quam hucusque feci, illas laude lubentissime mihi ponam. (v. 10. διὸ εὐδοκῶ etc.) Suboluit haec explicatio Iaspisio, qui tamen falso μᾶλλον ita cum καυχήσομαι consociavit, ut *malo gloriari* de meis miseriis significari putaret, non magis repugnante loquendi usu, quam invito sententiarum ordine. Nam cum non sequatur ἤ cum alio quodam verbo, non modo quisquam hunc significatum verbis μᾶλλον καυχήσομαι subiiciat (v. Viger. pag. 416), sed, si vel subiecisset, ne intelligere quidem posset, quid illud sit, quod ita P. nolit, ut gloriari multo malit.

THESES.

I. Posterior Petri epistola ab uno Petro est profecta.

II. Interpretatio panharmonica nuper a Germaro commendata neque Hermeneuticae commodum, neque Theologis harmoniam attulit.

III. Noli in Versionibus N. T. latinis ante Hieronymum confectis magnum quaerere interpretationis praesidium.

IV. Falsissimum est, quod crepant, interpretationem librorum s. grammaticam et historicam exstinguere vel interpretis, vel aliorum hominum pietatem.

V. Ut febris frigida et calida, sic Naturalistae et Mystae differunt. Hi aestuant, illi frigent.

VI. Polytheismus non necessario virtutem abolet (Rom. 2, 14.).

VII. Ad revelationis divinae notionem primum adducta est mens humana sua certo sciendi res, quibus cognoscendis se imparem sensit, magna cupiditate.

VIII. Nolim cum V. Hugio (Einl. B. I. p. 341.) Versionem syriacam Evangeliorum alius esse indolis existimare, quam Actorum apostolicorum epistolarumque paulinarum.

CAPUT IV.

Disseritur de l. II Cor. VIII, 10. 11. — IX, 1, de v. περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας, et de recte constituenda verborum cohaerentia in formulis οὐ πᾶς, μὴ πᾶς et similibus ad l. II Cor. IX, 8.

Proximum est, ut de loco II Cor. 8, 10. 11. pauca disputemus, ubi interpretes eo, quod τὸ θέλειν v. 10. pro graviore, τὸ ἐπιτελέσαι pro minore accipiendum videretur, praesertim cum v. 11. ἡ προθυμία τοῦ θέλειν et τὸ ἐπιτελέσαι sibi recte opponantur, haud leviter offensi, ut eiusmodi efficerent sensum, qui cum cogitandi legibus bene componeretur, tales inierunt explicationes, quae non ab omni parte verae esse videntur. Itaque non supervacaneum fuerit, iterum eas nostro qualicunque examini subiicere. Etenim alii, e quibus nominasse sufficiat Syrum*) et ex eo Ara-

*) Eo maxime eminet prae aliis, qui hos libros antiquitus converterunt, Syrus interpres, quod illi verba annumerant, hic appendit. Sed eo interdum abstulit eum suum perspicui sensus studium, ut, ubi verba graeca aliquid inepti continere viderentur, ea ex ingenio mutaret. Praeter hunc locum,

bem Erp. Grotium, Stolzium et Schottum, male. Apostolum τὸ θέλειν post τὸ ποιῆσαι, quod ante

---

ubi ποιεῖν et θέλειν transposuit ܫܪܝܬܘܢ ܠܘ ܠܡܥܒܕ ܗܘܐ ܒܠܚܘܕ ܐܠܐ ܐܦ ܠܡܨܒܐ ܀ haec duo exemplo sint:

2 Cor. I, 17. ἢ ἃ βουλεύομαι, κατὰ σάρκα βουλεύομαι, ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ; quoniam Paulus κατὰ σάρκα fieri, si in se reperiatur τὸ καὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ, propter Christi praeceptum, qui, ubi vel confirmanda, vel neganda res sit, formulis potius ναὶ ναὶ, οὒ οὔ, quam temerariis imprecationibus uti homines voluerat [Matth. V, 37. Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ ναὶ, οὒ οὔ.] vix dicere posse videratur, violenter verba paullina in concordiam cum loco Matthaei noster adduxit, ut sensui tamen bene prospiceret sic vertendo: ܐܘ ܕܒܣܪܐ ܐܢܝܢ ܗܠܝܢ ܕܡܬܪܥܐ ܐܢܐ ܡܛܠ ܕܘܠܐ ܗܘܐ ܕܢܗܘܐ ܗܘܐ ܒܗܘܢ ܐܝܢ ܐܝܢ ܘܠܐ ܠܐ ܀ *num illa sunt σαρκικά, quae ego decerno; quandoquidem ea habere debent sane, sane, non, non?* h. e. num ego a me impetro, ut infirmis captis consiliis illud obliviscar, debere [e Christi praecepto] in iis inveniri ναὶ, ναὶ, οὒ, οὔ, [summam constantiam et veritatem]? V. 18. Minime. In easdem salebras incidit b. Lutherus, ut hac interpretatione tollendum loci paullini cum Matthaei loco dissidium putaret: *Oder sind meine Anschläge fälschlich? Nicht also, denn bei mir ist ja, ja und nein ist nein.* Sed nulla intercedit inter utrumque locum repugnantia, cum neutrius eadem ratio sit. Nam Matth. 5, 37. in unaquaque re *aut ναί aut οὔ* esse voluit Iesus, duplicatis his particulis, simplicem, quam praecepit per has voculas, cuiusque rei vel affirmationem, vel negationem verissimam esse debere significans; sed Paulus repetito ναί et οὔ eorum depingit levitatem, quorum est in una eademque re *et ναὶ et οὔ*, ipsis, ut impetus ferat ingenii, modo ajentibus, modo negantibus. Sed clarius etiam hujus rei testimonium invenias Rom. 5. 7., ubi pro δικαίου, quod incommodum sensum fundere videbatur, pro arbitrio posuit Syrus τοῦ ἀδίκου. ܒܨܝܪܐܝܬ ܓܝܪ ܐܢܫ ܚܠܦ ܪܫܝܥܐ ܡܐܬ

haec verba ponendum fuisset, collocasse rati sic explicuerunt: *Hoc vos decet, siquidem non velle*

ܚܠܦ ܛܒܐ ܓܝܪ ܟܒܪ ܗܘ ܐܢܫ ܢܡܪܚ ܠܡܡܬ ❀

aptissimum sane, quod bene intellexit Grotius, negavit male v. c. Koppius, eo hunc sensum adeptus: *dei in nos amorem inde licet cognoscere, quod Christus pro nobis peccatoribus mortem occubuit. Nam vix quisquam mortalium, quod fortasse pro viro honesto facere sustineat, pro homine improbo mortem oppetet; id fecit Christus atque hoc ipsum est manifestum voluntatis divinae documentum.* Multo hac inferior est, si sensum spectaveris, ea explicatio, [nam quae a multis per ingenii lusum spectra potius, quam interpretationes compositae sunt, earum non puto habendam rationem esse] in qua recentissimi interpretes [v. c. Koppius, Schottus, Stolzius, Boehmius, al.] uno ore consenserunt: *vix pro honesto* [at nihil in se promerito] *homine mortem quisquam suscipiet; sed pro viro in se benigno* [Matth. 20, 15.] *fortasse vel vitam deponere sustineat.* Nemo enim non videt, alienissimam ab h. l., ubi, quam mortem Christus pro nobis vitiositate contaminatis hominibus adierit, eam vix quemquam pro insonte viro suscipere ait solere P., hanc esse sententiam: *pro homine, cui sit acceptis beneficiis obligatus, fortasse aliquem vitam positurum*: nisi forte per animi fervorem, quo commenta sua iam lubenter quidam firmant, eam male inseruisse hic Apostolum contendent. Praeterea vero, ut alia, quae hanc premunt interpretationem, vitia silentio praetermittam, illud quoque male factum est, quod et τὸν ἀγαθὸν eum, qui *praestitit* beneficia dici, contortius existimarunt, [diceretur enim, ut in *notione primaria*, τὸν ποτὲ γενόμενον ἀγαθόν] et alterum membrum ὑπὲρ — ἀποθανεῖν explicare voculam μόλις in priore, ut μόλις et τάχα sibi opposita sint, per festinationem non animadverterunt. Itaque nullus dubito, quin sublato potestatis discrimine in v. τοῦ ἀγαθοῦ et δικαίου alterum membrum ὑπὲρ γὰρ κ. τ. λ. recte esse μόλις dictum, demonstret. h. sensu: *Vix pro viro honesto morti se quisquam obiiciet. Vix, inquam. Nam fortasse tamen pro hoc mortem pati aliquis sustinebit.* Haec interpretatio ad apostoli consilium est accommodatissima; Neque

tantum, sed etiam perficere coepistis. At ut P. haec bono sensu dicere potuerit, non licet ta-

---

enim remota a praesenti Pauli disputatione inculcatur sententia et quae sic inest verbis ὑπὲρ γάρ etc., ea illi μόλις — ἀποθανεῖται, cum qua, quoniam est primaria, cohaeret V. 8, explicandae tantummodo inservit. *Mors Christi,* inquit, *pro nobis peccatoribus suscepta disertum est divini amoris documentum. Vix enim pro insonte viro quisquam mortem oppetet; nam posset hoc tamen ab aliquo fieri. Sed quod Christus pro nobis adhuc malis periit, inde dei in nos voluntatem clare licet cognoscere.* Neque spero futurum, qui, quoniam verbis ὑπὲρ — ἀποθανεῖν prope idem dicatur, quod jam antea vocc. μόλις — ἀποθανεῖται satis expressum fuerit, cum *fortasse aliquis pro bono viro morti sese obiiciat* haud differat ab hoc: *vix* erit, qui *pro honesto homine mortem patiatur:* meam interpretationem non admitti posse putet. Nam huiuscemodi verbositas, quae semper vel perspicuitatem, vel gravitatem iuvat orationis, neque apud Graecos, neque apud Paulum ipsum exemplis caret: Sophocl. Oed. Tyr. v. 262. εἰ κείνῳ γένος μὴ 'δυστύχησεν — νῦν δ' ἐς τὸ κείνου κρᾶτ' ἐνήλαθ' ἡ τύχη. [Cf. Erfurdt. ad h. l.] Ibid. v. 614. εἰ γὰρ ἐν ταῖς ξυμφοραῖς ταῖς νῦν νομίζει πρός γ' ἐμοῦ πεπονθέναι λόγοισιν εἴτ' ἔργοισιν εἰς βλάβην φέρον — — φέροντε τήνδε βάξιν Lucian. Hermot. § 45. ἡμεῖς δὲ οὐκ αὐτὸ μόνον καλοῦ, ἀλλὰ τοῦ καλλίστου δεόμεθα, καὶ ἢν μὴ τοῦτο εὕρωμεν, οὐδὲν ἡμῖν πλέον πεπρᾶχθαι ἡγησόμεθα. οὐ γὰρ ἀγαπήσομεν ὁποίῳ δήποτε καλῷ ἐντυχόντες, ἀλλ' ἐκεῖνο τὸ ἀκρότατον ζητοῦμεν κάλλος. 1 Cor. 15, 29. Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; Εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν; 2 Cor. 12, 7. Καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶν ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, quae postrema verba an genuina sint, suo loco disseram. Cf. etiam 1 Cor. 7. 26. Simillima autem nostrò loco abundantia est in Eurip. Electr. v, 395. ἐβουλόμην δ' ἄν, εἰ κασίγνητός με σὸς εἰς εὐτυχοῦντας ἦγεν εὐτυχῶν δόμους. ἴσως δ' ἂν ἔλθοι i. e. vix veniet, at fortasse tamen. Ceterum vide Heindorfium ad Cic. de Nat. Deor. I, 10, 24. et III, 36, 87. et Dan. Wyttenbachium in Biblioth. crit. Vol. III.

men nisi in scriptore, qui omnes cogitandi leges prorsus tollat, talem sententiarum inversionem [sic

---

Part. I. p. 35. Deinde quod particulae καί vim intulerim, nemo recte queretur. Nam quod voculae γε apud Graecos accidit, ut et quod *minimum*, et quod *maximum* sit, posset distinguere [Cf. summus Hermannus ad Vig. p. 838.] et *certe*, *quidem* et *vel*, *etiam* significans, idem etiam ad καί videtur posse transferri; ut id modo sit *vel*, *adeo*, ut corroboret, modo *forte*, *credo*, ut dubitationem augeat [vernaculum *doch wohl*, *noch*] [Videat: Herm. ad Vig. 837. Idem ad Sophocl. Philoct. v. 832. Stallbaum. ad Plat. Eutyphr. p. 40.] Hoc significat in his locis: Lucian. Hermot. ἔλεγε δ' οὖν περὶ τῆς πόλεως, εἴ γε μέμνημαι, ἄλλα τε πολλὰ καὶ ἤδη καὶ τάδε [et *forte* illud] §. 31. ἢ τάχ' ἄν τις αὐτῶν καὶ προσέροιτό με. §. 42. ἐθέλω εἰδέναι, ὅ, τι καὶ πράξεις. 1 Cor. 7, 11. ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ si forte discesserit; nam possit inveniri, quae domino non obediat, mulier [v. 10.]. Sic in nostro quoque l. καί fortiorem reddit dubitationem, per τάχα iam indicatam, ut τάχα καί vernacule reddere debeas *vielleicht wohl noch*. Denique ne quem offendat, quod ego δίκαιον et ἀγαθόν nihil hic differre contendi, cum, si Apostolus eandem notionem bis exprimere voluerit, eum idem vocabulum δικαίου repetiturum fuisse credideris, hoc unum adiicio, solere interdum tersos quoque scriptores, ubi aliquid semel dixisse satis sit, vel idem vocabulum, Xenoph. Cyrop. V, 2, 31. – – πορείαν – – πορείας Xenoph. Oecon. I, 9. πρόβατα – προβάτοις – πρόβατα, ubi dignus est, qui conferatur, Kusterus, vel aliud repetere par potestate, ut h. l. Cf. Thucyd. VI, 72. οὕτω γὰρ ἅ τε κρύπτεσθαι δεῖ, μᾶλλον ἂν στέγεσθαι. Sed haec ipsa interpretatio, cuius veritatem copiosius modo vindicare conati sumus, fuit iam, quod nonnullos fortasse magis, quam argumenta modo allata, movebit, procul dubio graecorum interpretum. Id quemadmodum inde recte concludas, quod illi hanc unam huic versui tribuerunt sententiam: *vix quemquam pro iusto homine mortem suscipere* [εἰ γάρ, φησιν, ὑπὲρ ἀνδρὸς ἐναρέτου οὐκ ἄν τις ἕλοιτο ἀποθανεῖν, σκόπει μοι τοῦ δεσπότου τὴν ἀγαθότητα, ὅτι τὸν υἱὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἔδωκε τῇ ἁμαρτίᾳ Oecumenius] quibus, si cum aliis fecissent, duplex sen-

enim appellant] vel suspicari. Unde iam veteres ecclesiae graecae interpretes τὸ θέλειν ita interpretandi periculum fecerunt, ut sane maiorem, quam τὸ ποιῆσαι vim haberet, qui in eo consenserunt, τὸ θέλειν significare *sponte facere* h. sensu: *non solum faciendi, sed etiam sponte faciendi initium posuistis anno superiori.* Hanc viam ingressus est Chrysostomus, qui verbis οἵτινες — ἀπὸ πέρυσι haec adscripsit: ὅρα, πῶς δείκνυσιν αὐτοὺς ἑκόντας καὶ χωρὶς προτροπῆς ἐπὶ τοῦτο ἐλθόντας. — Διὰ τοῦτο εἶπεν οὐ μόνον τ. π. ἀ. κ. τ. θ. καὶ οὐχὶ ἐνήρξασθε, ἀλλὰ προενήρξασθε. Ad v. 11. haec habet: ἵνα μὴ μέχρι προθυμίας στῇ τὸ καλὸν τοῦτο κατόρθωμα, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀπὸ τῶν ἔργων λάβῃ μισθόν. Eundem sensum, sed paulo latius, exprimunt Theophyl. et Oecum. Haec explicatio etsi parit sententias, et cohaerentes in se et loco etiam nostro aptas, duobus tamen laborat vitiis, altero, quod τὸ θέλειν *sponte faciendi* significatu perperam accipitur, altero, quod προενήρξασθε ad benefaciendi initium ante factum, quam ad beneficientiam a quoquam provocarentur Corinthii, falso refertur. Nam quamquam θέλειν haud raro sic usurpant Graeci, ut, quod *ultro* et *lubenter* facias, denotet, hoc tamen, *nisi cum alio verbo coniungatur*, significare non potest [cf. Buttm. *gr. Gr.* §. 137. p. 587.] ut Thucyd. VI, 56. ἤλπιζον καὶ

---

tentia circum scribenda fuisset, ita hoc clarissime intelligitur ex Theodoreti explicatione, qui sensum indicans similibus posteriori membro verbis, pro ἀγαθοῦ tamen ponit, quod in priori est, δικαίου· λογιζόμεθα γάρ, ὅτι παρανομούντων ἡμῶν ἔτι καὶ τῆς ἀσεβείας περικειμένων τὴν νόσον, ὁ δεσπότης χριστὸς τὸν ὑπὲρ ἡμῶν κατεδέξατο θάνατον καὶ μανθάνομεν ἐντεῦθεν τῆς φιλανθρωπίας τὴν ἄβυσσον· ὑπὲρ γὰρ δικαίου ἴσως ἄντις [τάχα καί] κατεδέξατο [scribe καταδέξαιτο] θάνατον, αὐτὸς δὲ δι' ἀγάπης ὑπερβολὴν τῆς ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν ἠνέσχετο τελευτῆς.

τοὺς μὴ προειδότας ἐθελήσειν σφᾶς αὐτοὺς ξυνελευθεροῦν. Hom. Il. X, 291. ὡς νῦν μοι ἐθέλουσα, [scil. παρίστασθαι.] παρίστασο, καί με φύλασσε Ioh. VI, 2. ἤθελον λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον. Eidem legi sese adstrinxerunt Romani, cf. Liv. I, 16. pacem precibus exposcunt, uti *volens* [sc. sospitare] *propitius suam sospitet progeniem.* Hor. Od. 3. 30. fin. — Et mihi Delphica lauro *cinge volens,* Melpomene, comam. Quocirca P., si illud sibi voluisset, non τὸ θέλειν simpliciter, sed τὸ θέλοντας ποιῆσαι scribere debuisset. Verbum autem προενήρξασθε propterea non potest Corinthios nondum de exercenda liberalitate monitos [μηδενὸς προτρεψαμένου Theophyl.] suapte sponte benignos fuisse exprimere, quoniam e. v. 6., ubi Titum a se monitum ait Ap., ἵνα, καθὼς προενήρξατο, οὕτω καὶ ἐπιτελέσῃ τὴν χάριν ταύτην praeverbium πρό in προενήρξατο tempus illud, quod hoc, quo scripsit epistolam, praecessit, indicare certum est. Sed accuratius expositam hanc interpretationem post Heumannum aliosque nuper probavit praestantissimus Winerus in Grammatica p. 141., qui v. 11. verba ἡ προθυμία τοῦ θέλειν, quae lubenter praestitam a Corinthiis liberalitatem satis arguant, illam verborum τὸ θέλειν v. 10. interpretationem de *eleemosynarum initio* non magis firmare putavit, quam quod in utroque versu non tam sibi opposita sint τὸ θέλειν mera benefaciendi voluntas et τὸ ποιῆσαι vere iam praestita munificientia, quam utroque loco προενάρχεσθαι τὸ ποιῆσαι et ἐπιτελέσαι τὸ ποιῆσαι h. modo: τὸ ποιῆσαι κ. τ. θελ. προενηρξ. conferendi et lubenter conferendi *initium fecistis:* νυνὶ δ. κ. τ. ποιῆσαι ἐπιτέλ. nunc *perficite* pecuniarum collectionem. Neutrum mihi quidem simplici dignum videtur approbatione. Nam ut ἡ προ-

θυμία τοῦ θέλειν v, 11, promtam fuisse Corinthiorum ad benefaciendum voluntatem [v. 10. *τὸ θέλειν*] declarare concedam, hoc tamen non possum largiri, quod Winerus sumere debet v. *ἡ προθ. τ. θ.* et ipsa pro *ἡ προθ. τοῦ θέλοντας ποιῆσαι* posita esse et simul ostendere, *τὸ θέλειν* v. 10. pro *θέλοντας ποιῆσαι* dici potuisse. Imo verbis v. 11. *ὅπως καθάπερ* — *ἔχειν* clara, nisi egregie fallor, est oppositio voluntatis pronae quidem, sed *nondum ad effectum perductae* [*προθυμία τ. θελ.*] et *beneficientiae re atque factis demonstrandae* [*ἐπιτελέσαι*]. Eandem vero solius benefaciendi voluntatis et vere iam praestitae liberalitatis oppositionem v. 10. obtinere, docet collocatio verborum v. 11. *νυνὶ δὲ καὶ τὸ ποιῆσαι ἐπιτελέσατε*, quae, si, quemadmodum Winerus vult, *ἐνάρχεσθαι* et *ἐπιτελεῖν* sibi opposita essent, ita potius se excipere deberent: *νυνὶ δὲ καὶ ἐπιτελέσατε κ. τ. λ.* Itaque non magnopere fallatur, si quis ita de his versibus existimet. Titus, cum a P. missus ad explorandum epistolae prioris inter Corinthios effectum Corinthi versaretur [2 Cor. VII, 7. II, 12.], imperatam 1 Cor. XVI, 1 sq. pecuniarum ad sublevandos pauperes hierosolymitanos collectionem inchoaverat, quod dicit P. *προενήρξατο* *antea inchoavit* [v. 6.] rationem habens eius, quo hanc epistolam consignavit, temporis [ante hoc tempus, quo nunc scribo, initium fecit], sed nescio quo pacto non perfecerat. Itaque hac epistola per totum Cap. VIII, et IX ad suam liberalitatem penitus peragendam multis modis permovere conatur Corinthios, his nostris autem versibus hoc ad ipsorum voluntatem sibi conciliandam haud sane inefficaci argumento utitur, par esse, ut, qui, quod ipsum multum laudis habeat, aliam pecuniam iam contulerint, ad aliam colligendam se paratos declaraverint, hoc honestum

nunc exsequantur consilium atque ita pecuniarum collectionem perficiant. Proinde singula verba sic explico: προενήρξασθε *antea* h. e. anno superiori [ἀπὸ πέρυσι] [praesente Tito v. 6.] coepistis, ut v. ἀπὸ πέρυσι praepositionem πρό in verbo accuratius definiant; οὐ μόνον τὸ ποιῆσαι non solum *vere colligere*, ἀλλὰ καὶ τὸ θέλειν sed etiam *velle*, h. e. *novam liberalitatem animo suscipere*. Hoc modo non solum τὸ θέλειν tanquam gravius τῷ ποιεῖν oppositum est [nam qui nova beneficia veteribus addere vult, plus illo agit, qui in eo, quod praestitit, subsistit], sed etiam v. προενάρξασθαι utrique bene congruit, illi [τῷ ποιῆσαι], quoniam nondum tantum pecuniae erogaverant, quantum ad iustam λογίαν sufficere videretur, huic [τῷ θέλειν], quoniam in hac nova voluntate huc usque acquieverant. Quod ne mirum putes, *initii* notionem aliter in v. τὸ θέλειν, aliter in vocc. τὸ ποιεῖν informari oportere, hoc meminisse debemus, saepius Paulum brevius loquentem unum verbum duabus sententiis ita adiicere, ut notio verbi in utraque aliter cogitari debeat. Luculentum huius rei exemplum habes versu 2. ὅτι ἡ περισσεία τῆς χαρᾶς αὐτῶν, καὶ ἡ κατὰ βάθους πτωχεία αὐτῶν ἐπερίσσευσεν εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν, ubi unum περισσεύειν in duabus per copulam connexis sententiis positum in utroque loco retinet quidem generalem *copiose transeundi in aliquid* potestatem, sed ita tamen, ut hic transitus in utroque aliter mente debeat concipi. Nam ἡ περισσεία τῆς χαρᾶς αὐτῶν ἐπερίσσευσεν εἰς τ. πλ. τ. ἁπλ. α. significat: eorum laetitia tanquam causa Macedones ad liberalitatem impellens in magnam liberalitatem transiit h. e. laetitia in causa fuit, cur illi benigni essent, quoniam nempe eos ad benignitatem incitavit, contra ἡ κατὰ βάθους πτωχεία αὐτῶν ἐπερίσ-

σεύσεν εἰς τ. πλ. τ. ἁπλ. α. summa paupertas transiit in magnam stipem eo scilicet, quod *e re quamvis tenui magna tamen beneficia erogata sunt*. Unum addo locum, qui apprime huc facit, Sophocl. Oed. Tyr. v. 270. [cf. ibi Brunck.] εὔχομαι θεοὺς μήτ' ἄροτον αὐτοῖς γῆς ἀνιέναι τινά, μήτ' οὖν γυναικῶν παῖδας, ubi *proveniendi* significatus in utraque re manet, sed *modus*, quo et segetes oriuntur et liberi, diverse est cogitandus. Praeterea confer Guil. Kusterum ad Xenoph. Oecon. I, 23. ad verba: αἱ δὲ τοιαῦται δέσποιναι αἰκιζόμεναι τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων καὶ τὰς ψυχὰς καὶ τοὺς οἴκους κ. τ. λ. et Winerum in Gr. p. 77. de Zeugmate in universum disputantem. Illud autem non opus est exemplis confirmari, θέλειν significare aliquid *velle* h. e. *animo aliquid suscipere*, ut non contineat, nisi rei facto declaratae oppositionem: Eurip. Iphig. Aul. v. 647. θέλω γε· τὸ θέλειν δ' οὐκ ἔχων ἀλγύνομαι. Rom. 7, 18. τὸ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν οὐχ εὑρίσκω. Phil. II, 13. — Sequitur v. 11., qui cum altera v. 10. parte ἀλλὰ καὶ — — πέρυσι proxime cohaeret ita, ut τὸ ποιῆσαι, quod potiorem vim habet, verbis τὸ θέλειν respondeat: nunc vero etiam *factis ratam faciendo voluntatem* [τὸ ποιῆσαι] perficite. Patrocinantur huic explicationi sequentia, ubi aperte ἡ προθυμ. τ. θ. sensu proclivitatis in voluntate positae opponitur τῷ ἐπιτελέσαι perficiendo, ut hoc dicat P.: ut, qua propensa *voluntate* beneficia *decrevistis*, eadem etiam *conferatis* [cf. v. 12.] Quapropter hic erit v. 10 et 11. sensus: Par est, vos pecuniam in pauperum usum conferre, quippe qui anno superiori et iam aes collegeritis et iterum colligere constitueritis. Ne hoc consilium destituite, imo ad eventum adducite. Nam ut promte stipem

erogare voluistis, ita impigre etiam pro facultatum rationibus eam conferri vestrum est. Haec quidem explicatio proxime ad veritatem mihi accedere videtur, ut Emmerlingius menon habeat sibi assentientem. Hic: *Qui dicit*, inquit, *anno superiore non solum benefecistis, sed et bene faciendi initium cepistis*, is dicit sententia parum absona: *vos, haud mora, uno momento facere ac velle coepistis.* Nam quis, quaeso, in re, quae citius, quam intra annum absolvi possit, cuiusmodi haec fuit pecuniarum collectio, ut eam celeriter profligatam innueret, unquam dixit: *est illa res vertente anno non solum facta, sed etiam decreta*; praesertim cum vel eam celeritatem, qua fiunt res, ad quas perficiendas multi non dicam menses, sed anni requiruntur, ita soleamus describere, ut eas vel *uno die*, vel *horae momento*, quin *uno temporis articulo* absolutas contendamus. Huius enim notionis [unius momenti] ambitum quomodo veteres exhauserint, disce, sodes, ex his Taciti locis: Annal. I, 5. donec *simul* excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama *eadem* tulit. III, 47. Tiberius *ortum patratumque* bellum Senatui scripsit. XV, 48. — *coepta simul et aucta coniuratione.* Sed ut Ap. pro: *Voluntatem facta vestra proxime exceperunt:* recte dixerit: *anni praecedentis spatio et liberalitatem animo decrevistis* et *id consilium ex parte quoque perfecistis*, illud tamen apparet, ita eum et v. ποιεῖν et θέλειν commodius inversurum fuisse, cum quisque illam, quam Emmerl. hic rimatus est sententiam, sic exprimere maluerit: *anno priori non solum benefaciendi consilium cepistis, sed id etiam ad facta perduxistis*, quam contrario modo: illo *anno non solum benigni fuistis, sed etiam liberales esse constituistis*: et

vocabula ἀπὸ πέρυσι, quae hic omnem vim habent [*anno superiore* omnia, τὸ ποιῆσαι et τὸ θέλειν, incepistis], non ultimo loco, sed statim post οἵτινες locaturum fuisse. Sed ut vel verba recte esse disposita ultro concedam, illud tamen mordicus teneo, Apostolum, si cum Emmerlingio sensiset, sic v. 11. pergere debuisse: nunc vero coeptam liberalitatem *non minus acriter et celeriter* perficite. Nam nonnisi sic Paulus causam habuisset, cur uno momento liberales esse et voluisse et re vera etiam fuisse antea diceret Corinthios, hanc nempe, ut eos ad alacritatem celeritatemque in benefaciendo eo gravius instigaret, quod eos illam quondam iam testatos esse affirmaret.

Particulae μέν tralatitium est hanc esse indolem, ut ei, in qua sit collocata, enuntiationi mox opponi aliam diversae naturae suapte vi ostendat. Quare qui haec audiverit verba: τὸ μὲν πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ γινώσκετε διακρίνειν [Matth. 16, 3.], vel sola μὲν indice rem addi, quae distinguatur a τῷ προσώπῳ τοῦ οὐρανοῦ, cognoscat; adiicitur autem haec: τὰ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε. Atque hoc ipso maxime di crepat a particula γέ, ut quae adiuncta notionem fortiter exprimat quidem, sed ut aliam gravi oppositione non excludat tamen. Cum vero in opposito altero membro, cuius μέν esset quasi praeco, quaecunque posset, modo oppositioni declarandae inserviret, per se locum habere particula, hic invaluit apud Graecos usus, ut tantum non ubique δέ, raro aliae similes voculae adhiberentur, veluti, ut alias praeteream [vid. Viger. de Idiot. p. 536.], ἀτάρ, μέντοι, ἀλλά, quin ipsae coniungendo potius destinatae καί et τέ, quam dicendi rationem egregie explicuit Hermannus ad Viger. p. 841., sed festinantius ad l. Act.

27, 21. ἔδει μὲν, ὦ ἄνδρες, πειθαρχήσαντάς μοι, μὴ ἀνάγεσθαι ἀπὸ τῆς Κρήτης κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν ταύτην καὶ τὴν ζημίαν traduxit Wahlius in Clavi p. 549. Neque enim reputavit V. D., cum particula τε coniungat v. κερδῆσαι τ. ὕβρ. κ. τ. ζ. cum praegressis μὴ ἀνάγεσθαι ἀπὸ τῆς Κρήτης, ut gemina haec nascatur sententia: *Creta solvere non debebatis* et *tempestatis calamitatem et iacturam hac re effugere debebatis*, respondere voci μέν haud dubie illa v. 22. καὶ τανῦν παραινῶ h. s.: [v. 21.] oportuit quidem vos voluntati meae obtemperando procellam devitare, [v. 22.] sed vel sic animum ne abiicite h. e. quando reiecto meo consilio pericula incurristis, nolite cadere animis. Inde autem ad illud locorum genus hunc nostrum recte referri intelligitur, quod particula quidem ad μέν accommodata careat, sed verbis sensu a voce μέν suspensis non destituatur. Non magis enim v. 22. καί diremta potest a μέν v. 21. cogitari, cum respondeant sibi haec: ἔδει μὲν μὴ ἀνάγεσθαι et καὶ τανῦν παραινῶ· *Creta quidem solvere non debebatis*, [sed] *etiamnum* forti estote animo. Sed merito illuc revocaveris Soph. Philoct. 1045. ἐπεὶ πάρεστι μὲν Τεῦκρος παρ' ἡμῖν, τήνδ' ἐπιστήμην ἔχων, ἐγὼ θ' ὃς οἶμαι κ. τ. λ. Eadem illa res est Act. I, 1. Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων, ubi profecto sententiam per μέν indicatam neque δέ, neque apta alia particula subsequitur. Nam pro eo, quod duabus vulgariter connexis sententiis dicere debebat: priori *quidem* libro complexus sum res a Christo gestas etc., sed huius commentarii hoc sit principium: repetitis nonnullis, quae ultimo prioris libri loco amplius exposuerat, statim sic orditur novum commentarium: Οἱ μὲν οὖν συνελθόντες etc., quibus verbis contineri sensum, qui obversatus est scri-

benti: *τὸν μὲν πρῶτον κ. τ. λ.* — *huius autem libri hoc sit exordium* — in promtu est. Quam eandem loquendi consuetudinem quippe ex intimis rationis humanae depromtam quasi recessibus non tam mirari, quam sedulo observare licet aliis etiam scriptoribus frequentatam esse: vid. maxime Beier. ad Cic. de Offic. I, 27, 95.: Quare pertinet quidem — quod cogitatione etc. Affinem huic generi habere haud verecundor l. Cic. De Republ. I, 3. Hinc enim illa *et* apud Graecos exempla — quae nota et frequentata apud illos *etiam* in gravissimam civitatem nostram dicuntur redundasse. Sed alia conditio eorum est locorum, ubi *μὲν* adeo nihil habet, quod ipsi respondeat, ut ne sententia quidem adsit altera illa, quam necessario requirit; quod cur ita fiat, non una fingi potest causa. Etenim vel per aliquam quidem sermonis negligentiam, at consilio tamen interdum id commiserunt scriptores in re clara ad pervidendam oppositionem satis esse eius indicem *μέν* ipsa illa vel non adiecta rati, vel inviti per magnam in cogitando celeritatem eam omiserunt. Saepius hoc Paulum fecisse constat. Sic Rom. 3, 2. circumcisorum commoda Iudaeorum persequendi consilio per *πρῶτον μὲν* satis declarato ita satisfacit, ut in uno tantum acquiescat. Nam verbo *ἐπιστεύθησαν* ad alia omnia [cf. v. 3. *ἠπίστησαν*] abripitur, unde ad perficiendam, quam inchoaverat, rem non revertitur. Id autem hic quidem tanto magis mireris, quod sequuturam enumerationem praesagimus inducti v. *πρῶτον*, quod v. *εἶτα δέ* vel similibus comitibus adiunctis legere censuevimus, [Marc. 4, 28. *πρῶτον χόρτον εἶτα στάχυν.**] Ibid. 7, 12.

---

*) Non litem, opinor, mihi intendent V. D., si hac opportunitate paucis meam sententiam de v. Marc. IV, 29. ὅταν

postquam τὴν ἁμαρτίαν tanquam personam introducens, ut quae lege mosaica per se optima [v. 7.]

δὲ παραδῷ ὁ καρπός expromsero, quae ego nullo modo sic explicari cum plerisque, ne Kuinoelio quidem excepto, posse arbitror: cum se tradiderint fruges *messoribus*. Neque tamen qui nuper hanc impugnavit explicationem, Winerus [Gr. p. 79.] eo evertisse videtur, quod utramque et Accusativi ἑαυτόν et Dativi τῷ δρεπάνῳ i. e. τοῖς θερίζουσι, ellipsin asperiorem, quam quae in pedestri oratione locum habere possit, esse professus est. Cui quidem sententiae haec tria obiecerim, quod Dativi prorsus nulla, Accusativi admodum tenuis sit ellipsis, duarum denique in uno vocabulo omissionum haud pauca inveniantur et apud Graecos et in N. T. exempla. Nam Pronominis quidem reflexivi omissionem in verbis διδόναι, ἐπιδιδόναι, ἀποῤῥίπτειν, κρύπτειν, καύθειν et similibus sic in Graecorum consuetudinem vertisse constat, ut neminem huius sibi ellipsis conscium postea fuisse crediderim. Quod autem *messores* diserto verbo non nominati sunt, id noli per ellipsin factum credere, cum adsit, unde illorum notionem haurias [Hermann. ad Viger. p. 885.] vocabulum τὸ δρέπανον, quo messores potius, qui id gerunt instrumentum, quam hoc ipsum armamentum, indicari manifestum est h. r.: ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς τῷ δρεπάνῳ, εὐθέως ἀποστέλλει τὸ δρέπανον *cum fructus se messoribus obtulerit, statim ablegat agricola messores.* Sed ne quis duas in uno vocabulo tramitti notiones inauditum putet, haec in medium affero loca: Act, 27, 43. ἐκέλευσε τοὺς δυναμένους κολυμβᾷν ἀποῤῥίψαντας πρώτους ἐπὶ τὴν γῆν ἐξιέναι iussit, qui natare possent, deiicere — quosnam? ἑαυτούς· unde? ἐκ τ. ναός· quonam? εἰς τὴν θάλασσαν· quae tamen omnia propterea omitti poterant, quod vel ex universa hominum in maris tempestate iactatorum conditione, vel ex praegressis v. τοὺς δυναμένους κολυμβᾷν sponte cuivis occurrunt. Theophrast. Charact. Cap. II, p. 214. ed. Fischer. ubi Athenaeus verba facit de Phoco, libidinoso Phocionis filio: ἐπιδόσεων δέ ποτε γενομένων παρελθὼν καὶ αὐτὸς εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἔφη, ἐπιδίδωμι κἀγώ [*quid* et *cui rei?*] καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ὁμοθυμαδὸν ἀνεβόησαν εἰς ἀκολασίαν. Sed ne hanc quidem omissionem duram dicet, qui colligendarum illarum ἐπιδόσεων Athe-

male abusa sit [v. 8. 11.], quod haec pravitatem humanam non exstinxerit, in culpa esse ostenderat,

---

nis receptum noverit morem. Alia ex. v. apud Schaefer. Ellips. p. 126 sq. et Reitz. ad Luc. Hermot. §. 24. ad v. καὶ τὸ μὴ ἐνδοῦναι. Quare mihi quidem propter Aoristum potius παραδῷ intolerabilis videtur illa explicatio, et quod τὸ δρέπανον e sequentibus repetitur, cui vocabulo non primaria hic insit notio. Nam cum, quo potestatis discrimine Graecos coniunctivum Praesentis et Aoristi separare in vulgus constet [cf. v. c. Elmslei. ad Eurip. Med. p. 132. ed. Lips.], ut ille in praesentia, hic in praeterito temporis futuri rem collocet, idem in N. quoque T. sedulo observari e diligenti omnium locorum comparatione et ipse sciam et quisque vel ex iis locis, quae Wahlius s. v. ὅταν posuit, cognoscere possit, quantam inferat illa explicatio notionum repugnantiam, nemo est, quin intelligat. Quidnam, quaeso, hoc est: cum se *tradiderit* [non *tradat*] fructus messoribus, tum emittit colonus messores? Nam ubi se tradiderunt iam messoribus fruges, ut ad metendas eas illos emittas, nihil opus est, quippe quae iam sint demessae. Eo enim ipso, quod falce admota caeduntur, *messori* se tradunt spicae. Sed quod τῷ δρεπάνῳ ad v. ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπός e sequentibus repetunt, id idcirco improbandum duco, quod non omitti solet vocabulum, nisi quod ipsum praetermissum esse e re, de qua sermo sit, facillime queas perspicere, quemadmodum vel ex utroque, quem supra attuli, Lucae et Theophrasti loco satis apparet. Quonam igitur iure, ubi notio primaria qui sparserat semen sit ἄνθρωπος [v. 26.], quippe de quo tota res narretur, ad παραδῷ cogitando adieceris τῷ δρεπάνῳ? Atque hunc ipsum colonum illum esse, *cui* se messis obtulerit, pro certo confirmare audeo h. m.: ὅταν δὲ παραδῷ αὐτῷ ὁ καρπός sed cum messis illi se tradiderit: quam interpretationem, ne agricolam eum esse, ad quem hic omnia referantur [ἐὰν ἄνθρωπος βάλῃ — καθεύδῃ — ἐγείρηται v. 26. — ἀποστέλλει v. 29.], molestius repetam, universi loci conditio vel suadet, vel flagitat. Nam quid huic parabolae, quae agricolam aetatem tam secure agentem introducat, ut ille mandato terrae semine nullam prorsus agri curam habeat, magis convenire possit, quam ut homo nihil de agri proventu solli-

recte sic concludere voluit: *Lex igitur reprehensionis expers est, neque tamen ἡ ἁμαρτία.*

---

citus, cum se fruges ei *obtulerint* h. e. *ad maturitatem perductae messores ab ipso quasi requirant*, tum vero animum ad messem appellere dicatur? Illud vero multis demonstrare supersedeo, recte sic esse positum Aoristum παραδῷ. Nam *agri domino* fruges se tradunt, quando, ut messores cum falcibus emittat, maturitate sua monent, quare nonnisi *commonitus* recte dicitur securus agricola ad messem amandare homines. Sed ne nostra sententia mire delimiti aliorum fastidiosius sprevisse videamur labores, nonnulla de Wineri [v. l. l.] interpretatione disseremus. Vult ille ad παραδῷ e sequentibus vel καιρός vel θερισμός repeti; sed utrum horum verborum Accusativum, quod ex adscripto Ciceronis loco sane coniicio, an Dativum maluerit, id, nescio quo modo, ipsi verbo declarare non placuit. Sed neutrum fieri potest. Nam alterutrius vocabuli e sequentibus derivandi propterea nemini sim auctor, quod utrumque e v. ὅτι παρέστηκεν ὁ θερισμός, quae ut ipsa non ad primariam sententiam [ὅταν -- δρέπανον] pertinent, ita nonnisi per causae adiectionem leviter cum ea cohaerent, haurire debeas, alterum autem [καιρός] ne hic quidem, nisi eius notionem, habeas. Accedit, quod, sive Accusativum, sive Dativum antetuleris, operosius, quam pro suae orationis *huiusque notionis* simplicitate locutus esset Marcus. Ecquis enim hanc sententiam: *cum messis tempus advenerit*, sic efferre maluerit: *cum fruges messis tempus obtulerint* ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς τὸν καιρὸν s. θερισμόν, quae locutio ne poetae quidem, nisi pessimo, unquam excidet, cum recte quidem *messis tempus offerre fruges* dicas, sed non contra. Frustra l. Ciceronis Div. I, 9. *lentiscus tria tempora monstrat arandi* huiusque similes obieceris. Ibi enim bene dicitur lentiscus in personam conversa tria tempora monstrare arandi, ut cuius externae formae vicissitudo quodque, quo arandum sit, ostendat tempus. Unde Accusativum καιρόν s. θερισμόν nulla dubitatio est, quin reiicere debeas idque tanto magis, quanto minus eum, *cui fruges messis tempus obtulerint*, sic interpretando indipiscaris. At eadem ratio Dativi est. Perverse enim *messem adesse* eo significares, quod *fruges se messis tempori tra-*

Sed priore sententia *ὥστε ὁ μὲν νόμος ἅγιος* ad hanc obiectionem perductus *τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος*; prius positum *μέν* prorsus destituit, quippe qui *vitiositatem incusandam esse* infra demum v. 13. dicat v. *ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία*, ut *ἀλλὰ* tamen a negatione *μὴ γένοιτο* pendeat. Nec profecto aliter graecorum latinorumque scriptorum optimi quique: vid. Matthiae ad Cic. in Catil. II, 10, 21. ac potissimum Beier. ad Cic. de offic. I, 14, 44. ad v. *primum in eo peccant — inest autem.* Adde Tacit. Annal. XIV, 55. *Quod occurram, id primum tui muneris habeo*, ubi *dein* vel simile deinceps frustra quaeras. Nec sane velim hic a quoquam negligi alium quendam morem, qui est in eo situs, ut *δέ* saepe adhibeatur, *μέν* non diserte praegressa, quae ex universo illorum sensu debeat erui; vid. Herm. ad Soph. Philoct. 1128 *κεῖνος δ' εἷς ἀπὸ πολλῶν*. Elmslei. ad Eur. Med. ad v. 1039. *ὦ φιλτάτη χεὶρ φίλτατον δέ μοι στόμα.* etc. Statim hanc ampliorem disputationem ad l. 2 Cor. 9, 1. transferam, paucis duntaxat, ne infra iniquiore loco esset explicandus, de aliquo particulae *γάρ* usu praemissis verbis. Solent enim Graeci enuntiationes, quae causae rationem reddunt, ei rei haud raro praemittere, quo afferant causam, in his collocata *γάρ*. Lucian. D. Deor. IV, 1. *Ἄγε, ὦ Γανύμηδες, ἥκομεν γάρ,*

---

didisse diceres. Illud autem verbo indicare satis habeo, eas, quas putavit, ellipses Winerum sua interpretatione non devitasse. Nam utercunque ipsi casus magis placuerit, et coactius, quam qui vulgariter *τῷ δρεπάνῳ* e v. proximis hauriunt, e leviter annexa sententia *ὅτι παρέστ. ὁ. θερ.* repetivit *καιροῦ* et *θερισμοῦ* vocabula, et si praeposuerit Dativum, in v. *παραδῷ* pariter pronominis reflexivi cernitur ellipsis, sin Accusativum, *ille* non est diserte appellatus, cui fruges messis tempus obtulerint.

ἔνθα ἔχρῃν, φίλησόν με ἤδη ratio, cur nunc potissimum expetantur oscula, in Ganymedis adventu posita praeponitur. D. Mort. 21, 1. Ὦ Κέρβερε, συγγενὴς γάρ εἰμί σοι κύων καὶ αὐτὸς ὤν, εἰπέ μοι κ. τ. λ. ubi causa, cur Cerberum sperat suis precibus annuere, has ipsas praecedit. Pariter Charon 9. Ὦ ξένε Ἀθηναῖε [εἶδες γάρ μου τὸν πλοῦτον – καὶ τὴν ἄλλην πολυτέλειαν] εἰπέ μοι, τίνα ἡγῇ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων εὐδαιμονέστατον εἶναι; Hoc mihi dic. Nam poteris conspectis meis opibus facile de hac re ferre iudicium. [cf. Thierschius in Spec. Edit. Symp. Plat. p. 36 sqq.] Quod cur ita factum sit, quaerentem vix poterit praeterire, Graecos naturam secutos, quae re et cogitando priora sunt, verbis etiam prius enuntiare voluisse: e qua consuetudine fluxerunt alia multa, quae sibi propria habet lingua graeca, ut usus ille v. ὅμως, de quo v. Herm. ad Soph. Aiac. v. 15, ut quod nonnunquam duae sententiae conditionales se proxime excipiunt, [cfr. Stallbaum. ad Plat. Eutyphr. p. 69.] alia. Verum quae ego de universo hoc genere expliciturus perverse praetermitterem, ea si hic, ubi nonnisi quae ad accuratiorem l. 2 Cor. IX, 1. explicationem facere viderentur, paucis praemonenda fuerunt, silentio sciens pressero, τάχ' ἄν οὐ πάνυ μαστιγώσιμος ὑμῖν δόξαιμι.

Ibi autem vix dici potest, quantum potestatis particularum μὲν γάρ vel ignoratio vel neglectio pravas virorum doctorum de hac epistola adauxerit opiniones. Etenim Paulum, qui c. VIII. de stipe in pauperum Hierosolymitanorum usum Corinthi colligenda fuse exposuerat, quod toto capite IX. iterum de ea agat, demirati, formula videlicet περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας cum locutiotione, qua in transitu ad rem novam solet uti περὶ δέ etc., egregie confusa, Apostolum e v. περὶ

μὲν γάρ etc. ad rem intactam accedere certum esse pronuntiarunt. Unde ulterius progressi, alii [Semler.] hoc caput velut novam epistolam a praecedentibus per calidam coniecturam separarunt, alii [Emmerl.] Pauli in scribendo imperitiam velut aram supplici nunquam renuentem amplexi eam sic excusare satis habuerunt, ut illum avocatum a scribendo immemorem ante dictorum nunc continuare orationem dicerent. Quasi vero 1 Cor. 7, 1. περὶ δὲ ὧν ἐγράψατέ μοι ceterisque locis 1 Cor. VIII, 1. XII, 1. XVI, 1. causa, cur sic ad rem novam pergere licuerit, non in particula δέ cernatur [quod *autem* mihi scripsistis i. e. nolo omittere illud, quod mihi per literas significastis], ut illi nostro loco, ubi μὲν γάρ habemus, nullo modo conferri possint!

Sed qui v. περὶ μὲν τῆς διακονίας τῆς εἰς τ. ἁγίους περισσόν μοί ἐστι τὸ γράφειν ὑμῖν accuratius explicare constituerit, ei tres patent viae, quarum tamen non eadem omnium est facilitas. Primum enim versu 2. ad reddendam verborum περισσόν μ. ε. τ. γ. ὑ. rationem interposito, versu 3. v. ἔπεμψα δὲ ἀδελφούς afferre δέ ad μέν v. 1. suspicari possis. Tum totius loci cohaerentia haec est: P. postquam multis de eroganda in pauperes stipe tractaverat 8. 1 — 15., per Titi mentionem duos, quos simul miserit, fratres et merita laude impertit, et ut benigne excipiantur Corinthi, lectores monet, 8. 16 — 24. Capite igitur nono quo consilio miserit fratres, quod nondum dixerat, enarraturus, ut Corinthios occultius exercendae liberalitatis simul commonefaceret, orationem sic conformavit: de corrogandis beneficiis nihil quidem addendum superioribus sentio [περὶ μέν etc.], propterea quod [οἶδα γάρ] etc.; sed hoc superest, ut dicam, cur fratres miserim [ἔπεμψα δέ]. Verum haec interpretatio propterea vix poterit a quoquam probari,

quod vox causam indicans γάρ prorsus praetermissa est. Quare γάρ aut cum praecedentibus aut cum sequentibus coniungi oportebit. Qui illud animum induxerit, is γάρ ad 8, 24. referat, et particulam μέν carere opposita sibi sententia existimet, ut v. ἔπεμψα δέ non respondeant illis περί μὲν γάρ etc., sed ad fratres iterum recurrentis sint Apostoli h. m.: Laute excipite fratres, id moneo [8, 24.]: nam praeter rem ad liberalitatem denuo quidem provocarem ad eam iam propensos homines. [περὶ μὲν γάρ – πλείονας] h. e. illud possum praetermittere, ut vos ad beneficentiam iterum cohorter; sed *ut ad fratres revertar*, eos misi [ἔπεμψα δέ etc.] ut sqq. Nihil puto huic inesse explicationi, quod iure possit reprehendi. Nam praeterquam quod tam bene cohaeret universus locus, ut, qui eum Cap. 9, 1. turbatum contendat, eius pene diffidere debeas iudicio, ne hoc quidem offensioni esse potest, quod μέν nulla sustentatur contraria sententia, praesertim cum ea, quanquam obscurius, v. ἔπεμψα δέ enuntiata sit. Nam pro eo, quod dicendum fuit: *Ut missos fratres benigne excipiatis*, cohortor: nam ut ad liberalitatem, id quidem supervacaneum, neque vero hoc, ut qua mente miserim fratres, explicem: misi igitur hos, ut sqq.; in compendium quasi contracta oratione, opinionem suam, habere se, cur de missis fratribus admoneat, satis vel e contrario perspici ratus diserte addere neglexit. *Ut hoc addam, δέ in v. ἔπεμψα δέ sic post longiorem parenthesin posita in epanalepsi et crebro occurrit apud τοὺς ἔξω [vid. Hermann. ad Viger. p. 847. Beier. ad Cic. de offic. I, 30, 105. ad v. *sed siquis est paulo erectior*]. neque a nostris non ita adhibetur [Luc. IV, 1. cf. III, 23.]. *Pari modo Act. 28, 22. Ἀξιοῦμεν δὲ παρὰ σοῦ ἀκοῦσαι, ἃ φρο-

νεῖς. περὶ μὲν γὰρ τῆς αἱρέσεως ταύτης γνωστόν ἐστιν ἡμῖν, ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται non sane habet μέν, quae respondeat, sententiam; sed praegressam ἀξιοῦμεν — φρονεῖς esse repetendam quivis videt. Nihil mali, inquiunt Iudaei, de te nobis innotuit [v. 22.], unde quid tibi [de secta ista (cf. v. 20. ἕνεκα — περίκειμαι·)] videatur, cognoscere volumus: nam illam quidem sectam ubique impugnari novimus. *Sed quid tu* [vir nullius probri compertus] *de ea sentias*, scire avemus. [ἃ σὺ δὲ φρονεῖς, ἀξιοῦμεν παρὰ σοῦ ἀκοῦσαι].

Tertia, quam concipere possis, sententia haec est, ut γάρ cum iis, quae trahit, vocabulis περὶ μὲν γὰρ – πλείονας causam contineat prius positam, quam verba ipsa, quorum reddat rationem [cfr. supra] ἔπεμψα δὲ τοὺς ἀδελφούς, his autem redire putes Apostolum ad illud, quod c. 8, 18. 22. fratres se misisse dixerat, particula μέν denique careat sententia contraria, sed quam e v. ἔπεμψα δέ perspicere non sit arduum. Quapropter haec legitima esset oratio: Sed ut, cur fratres, [quos antea me legasse iam professus sum] miserim, *nunc dicam* [nam benignitatis quidem declarandae vel sic promtis hominibus stimulos admovere nihil opus est (περὶ μὲν γὰρ – πλείονας), sed cur fratres ablegaverim, id operae est explanari]; misi igitur eo fine, ut etc. Ἔπεμψα δὲ τ. ἀδελφοὺς [περὶ μὲν γὰρ – πλείονας· περὶ δὲ τοῦ πέμψαι τοὺς ἀδελφοὺς οὐ περισσόν μοί ἐστι γράφειν] ἔπεμψα τοίνυν τοὺς ἀδελφούς. Has vero sententias sic in brevius contrahere maluisset: *Non enim de liberalitate quidem monendi estis parati ad eam homines. Misi autem fratres.* Quod si quaeras, utra potior habenda sit explicatio, non equidem contenderim, hanc, de qua extremo loco exposui, coactiorem videri, quam quae admitti omnino possit: solent

enim huiusmodi enarrationes tum demum pro duris sperni, si verba in communem orationem resolveris, cum, dum scripta verba ad mentis humanae leges expendas, nihil in iis haereas. Nihilominus tamen medio loco a me exhibitae primas dederim idcirco, quoniam et per se simplicius est et sensu ipso aptius, cohaerere γάρ cum 8, 24. [v. supra]: sed utramcumque elegeris explicationem, tantum certe apparet, non abruptam, sed optime connexam P. esse disputationem, ut ea hoc ad permovendos Corinthios valentissimo artificio: non esse, quod ad beneficia praestanda instiget liberalissimos homines: non pervertatur, sed magna vi corroboretur. Nam hoc ipso, quod non esse de liberalitate demonstranda monendos pronuntiavit, potius esse significavit de tramissis fratribus disputare. Quidni igitur res, quae novitate sua nos retineant in l. s., explicandi severitate, quam coniecturarum levitate expedire malumus?

Vocabulum πᾶν sic a Graecis dici nemo ignorat, ut quicquid alicui generi subsit, id totum comprehendat. Neque hoc solum usurpatur de animalibus, ut hominibus [I. Cor. 7, 7. θέλω γὰρ πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτὸν quicquid est hominum, id mei volo simile esse], sed etiam, quamquam rarius, de rebus v. c. II Cor. I, 4. πᾶσα παράκλησις IX, 8. πᾶσα χάρις quicquid dignum est solatii – beneficii nomine [cf. Herod. 2, 120. διὰ πάσης ἀγωνίης i. e. παντοδαπῆς, παντοίας. vid. Valckenar. ad Herod. 7, §. 30 – 35. ad v. ἄγων πάντας ἀνθρώπους.]. At hanc tamen rem, ut omnibus notam, ne nauseam creemus lectoribus, iterum decantare nolumus; sed quam parum eius memores fuerint interpretes in explicandis vocabulis οὐ πᾶς et μὴ πᾶς, id vero per huius liberae disputationis licentiam hic statim tractare lubet.

Recte enim mireris, Wahlium illud per magnus quasi ab avitae memoriae iuterpretibus et Lexicorum N. T. conditoribus propagatum in sua Clavi conservassé vitium, quo vocabulis *οὐ πᾶς* et *μὴ πᾶς in unam notionem coniunctis* Graecorum pronomina *οὐδείς* et *μηδείς*, quibus carent Hebraei, exprimi per Hebraismum passim a nostris scriptoribus putavit. Nam quae veteres Theologi deliquerant, quí, cum in ea viverent aetate, qua lingua graeca philosophiae lumíne nondum collustrata esset, quae explicatu difficilia in N. T. sunt, ex lingua hebraica, multo minus illa ad mentis humanae leges tum expensa, ut in ea nihil non dici recte posse videretur, explicare consueverunt, id eum corrigere oportebat, qui optima quaeque se allaturum professus est. Est autem illud, quod constantissime hucusque V. D. crediderunt, *οὐ πᾶς* et *μὴ πᾶς* designare *non ullum*, *neminem*, eiusmodi, ut id in nulla lingua fieri possit. Nam cum qui contractis in unam notionem vocabulis *οὐ πάντες*, dicat *οὐ πάντες τοῦτο ἐποίουν* *fecerunt hoc*, *qui sunt non omnes*, quoniam sic *qui sunt non omnes* iis opponat, *qui sunt omnes*, commisisse illud, nescio quot, qui tamen non sint cuncti, diserte contendat, magna haec fuerit perversitas, si quis illis verbis *neminem* hoc fecisse significare h. e. vel *unum* perpetrasse negare voluerit. Inde autem apparet, et *οὐ πᾶς*, sicubi in unam cogitationem compositum occurrat, ita tollere omnium notionem, ut *aliquos* certe relinquat, et ipsos Hebraeos vocc. *οὐ πᾶς* proxime coniunctis *neminis* notionem exprimere non potuisse, quamquam vulgarem sententiam ipse probavit Gesenius *Lehrgeb.* p. 831. *Anm.* 1. Illi enim eam ita enuntiaverunt, ut *negatione cum verbo coniuncta*, quae in aliis linguis de *nemine*

valere dicuntur, *de omnibus, quicunque ad genus aliquod pertineant, aliquid non valere* contendant. Recte. Nam quod de *toto* genere *non* valet, propter id ipsum de nullo valet. Sufficiant in aperta re haec pauca exempla, quae particulam negativam perperam esse ab interpretibus cum כֹּל copulatam vel inde docent, quod altera negatio לֹא arctius semper est cum verbo coniuncta, altera אֵין verbum ipsa simul includit. Exod. XX, 10. לֹא־תַעֲשֶׂה כָל־מְלָאכָה *quicquid opus dici potest*, ne fac [sabbato]. Non cohaerere hic לֹא כָּל־מְלָאכָה praeter ipsam negationis collocationem sententiae iis coniunctis oritura moneat perversitas: *licere subbato quaedam opera peragere.* Dan. XI, 37. עַל־כָּל־אֱלוֹהַּ לֹא יָבִין *quicquid est numinis, id non curabit*, ubi, si negatio cum verbo cohaereret, diceretur homo perversus aliqua revereri numina, quem tamen adiectis statim vocabulis כִּי עַל־כֹּל יִתְגַּדָּל se supra omnes deos elaturum scriptor promittat. Eccles. I, 9. אֵין כָּל־חָדָשׁ תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ׃ quae v. sic explica: *quicquid ad genus rerum pertinet, quas novas dicas, id non est* [reperitur] *sub sole*, quoniam nempe, quodcunque fiat, iam ante factum est. [v. 10.] Itaque אֵין, quod simul verbum *esse* comprehendit, cum תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ, non cum כָּל־ חָדָשׁ construi proxime debet. II Sam. 12, 3. לָרָשׁ אֵין־כֹּל כִּי אִם כִּבְשָׂה אַחַת קְטַנָּה׃ *pauperi non fuerunt, quae notione omnium continentur* h. e. *pauper omnibus caruit*, si unum agnum exceperis. Quare hic quoque non אֵין־כָּל, sed לָרָשׁ אֵין h. e. *caruit pauper* componere debes. Ps. 49, 18.

כִּי לֹא בְמוֹתוֹ יִקַּח הַכֹּל iterum negatio cum verbo nectenda est. Nam sensus est hic: *non enim dives, quando morietur, secum auferet* q u i c q u i d h a b e t. Hanc vim articuli esse, vel parallelismus docet, cum verbo הַכֹּל respondeat כְּבוֹדוֹ [v. 17 כְּבוֹד בֵּיתוֹ] *splendidae eius opes*. Ad hanc eandem normam cetera loca, in quibus interpretes per verba לֹא כֹּל arctissime iuncta notionem *neminis* expressam voluerunt, facile poterit quisque iudicare, quae, quoniam ne speciem quidem veri habent, nunc praetermitto, ad N. T. transiturus. Sunt autem loca, ubi v. οὐ πᾶς coniungenda putant interpretes, ut *neminem* designent, sic comparata, ut negationem cum verbo potius cohaerere vel ex ipsius collocatione, vel e ratione contrariae sententiae, vel denique e Modo verbi manifestum sit. Illud enim silentio praetereo, non posse οὐ πᾶς per se quicquam nisi *aliquos* significare. Gal. 2, 16. διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δ ι κ α ι ω θ ή σ ε τ α ι πᾶσα σάρξ *non probabitur per praestitum legi obsequium, quicquid est carnis.* Hic illud revocare V. D. a coniunctione v. οὐ πᾶς debebat, quod negationem verbum proxime excipit. [Cf. Rom. 3, 20.] Eadem est natura l. Marc. 13, 20. Matth. 24, 22., ubi *totam enuntiationem* debere negativam esse, evincunt praegressa εἰ μή. Apoc. 7, 1. — ἵ ν α μ ὴ π ν έ ῃ ἄ ν ε μ ο ς ἐπὶ τῆς γῆς, μ ή τ ε ἐπὶ τῆς θαλάσσης, μ ή τ ε ἐπὶ πᾶν δένδρον *ne posset ventus movere, quicquid esset arborum.* Male hic consociari μὴ πᾶν cum μή, μήτε, μήτε, quibus v. totas sententias connecti constat, arguunt, praesertim cum μή et μήτε prius non habeant secum πᾶν, tum ipse sensus indicat. Nam angeli ventos imperio suo constringentes *caverunt*, n e posset terram perflare. Matth. 7, 21. Οὐ πᾶς ὁ λέγων

μοι, κύριε, κύριε, εἰσελεύσεται *εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἀλλ' ὁ ποιῶν κ. τ. λ. omnes, qui* — — *ii non potientur regno divino.* Falso Schleusnerus *paucos* significari putat, cum hoc Iesus velit: Omnes qui me dominum salutant, non intrabunt regnum coeleste; illi intrabunt, qui voluntati divinae satisfaciunt. Qui mihi opponat, eorum quoque nonnullis, qui ad Iesum dixerint *Κύριε, Κύριε* regni coelestis copiam fieri, ii reputent, eiusmodi homines propter obedientiam numini comprobatam eius reddi compotes. Christus enim, utrum multi, an pauci eius futuri sint participes non definiens, nihil hic dicit, nisi et qui illud ingressuri sint, et qui non ingressuri. Bene igitur vertit Schottus. Act. 10, 41. — *οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ θεοῦ* *). Quasi vero hic *οὐ παντὶ τῷ λαῷ* co-

*) Licuit sane Lucae per linguae rationes pro *ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ θεοῦ* suppresso praeverbio scribere *τοῖς προκεχ. τοῦ θεοῦ.* Recte enim observatum est [v. c. a V. D. ad Bos. Ellips. s. v. *ὑπό.* Kuinoel. ad Matth. 11, 11. Gesen. *Lehrgeb.* p. 790. Winer. *Gr.* 58. al.], solere Hebraeos pariter atque Graecos genitivum e participiis passivis nectere. Sed quem locum ab aliis N. T. interpretibus plane praetermissum, ab aliis minus bene explicitum vidi, unde ille genitivus sit suspensus, cum si hic distinctiora afferendi spe levius tetigero, non mihi piaculo futurum spero. Cavendum autem magnopere est, ne ibi a participio vel passivae potestatis adiectivo genitivum repetamus, ubi cum adiecto substantivo melius componatur. Huc refero I Cor. 2, 13. *ἃ καὶ λαλοῦμεν, οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος,* ubi genitivos *ἀνθρωπίνης σοφίας* et *πνεύματος* propterea cum plerisque omnibus e. v. *διδακτοῖς* aptos declarare nolim h. s.: suppeditata ab humana sapientia — a spiritu div. verba: [Theodoret: *διὰ τοῦτο οὐ δεόμεθα τῆς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις· ἀρκεῖ γὰρ ἡμῖν ἡ διδασκαλία τοῦ πνεύματος·*] et quod minus bene

haereant! aut id concedat ipsa oppositio! Imo negatur [οὐ] παντὶ τῷ λαῷ, affirmatur [ἀλλὰ] μάρτυσι τ.

---

ad oppositionem διδακτοῖς πνεύματος pro διδακτοῖς τῶν σοφῶν ἀνθρώπων λόγοις scripseris διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, et quod hic Apostolo, qua res div. tradere soleat ratione explicituro, non tam *unde acceptis* [διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας] utatur verbis, quippe qui sapientiam coelestem a spiritu sibi profectam esse v. 12. iam satis indicaverit, sed *cuius generis* [ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις] usurpet orationem, enucleandum est. Quocirca coniunctis vv. ἀνθρ. σοφ. λόγ. et πνεύματος sc. λόγοις, διδακτοῖς leviter tantummodo adiectum putamus h. s.: *non sapientiae humanae,* [*quae didicerim*] *verbis, sed spiritus s.* [*mihi suppeditato*] *sermone.* Id ipsum Syrum crede secutum, qui aperte διδακτοῖς λόγοις consociavit: ܠܐ ܗܘܐ ܒܗ ܒܡܠܐ ܕܝܘܠܦܢܐ ܕܚܟܡܬܐ ܕܒܢܝܢܫܐ ܐܠܐ ܒܡܠܦܢܘܬܐ ܕܪܘܚܐ * [cf. etiam Ambrosiaster ad h. l.] Male enim illum, qui hanc amplexus v. διδακτόν potestatem, qua *id, quod doceri potest, doctrinam,* significat, singula verba expressit, pro διδακτόν legisse cum aliis [cf. Griesb.] censeas διδαχῇ, ut quod una duorum verborum διδακτοῖς λόγοις sit interpretamentum. Item non inepte huc referas 2 Petr. 2, 14. suspenso genitivo πλεονεξίας a voce καρδίαν, quamquam alii πλεονεξίας a γεγυμνασμένην nectere malint, quarum utra praeponderet sententia, quominus disputemus, impediunt huius loci-angustiae. Sed ubi genitivi cum participiis passivis re vera copulandi sint, minime coire convenit cum illis V. D. societatem, qui [et antiquitus plerique et nuper Kuinoelius comment. ad Matth. edit. 3. 1823. p. 317.] cum frequentius in eadem causa secundum casum a praepositione ὑπό gigni vidissent, eum nude positum huius ipsius per ellipsin omissae et aliunde [unde?] adsciscendae praepositionis auxilio sustentare voluerunt. Qui quamquam prorsus falluntur [cf. Hermann. de Ellips. et Pleon. p. 143.] ac intelligendo faciunt, ut nihil intelligant, ut ait Terentius, non magis tamen probari cuiquam potest Wineri consilium, qui, quasi rarius praeverbium ὑπό adiici, quam

προσεχ. Ephes. 4, 29. πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω, ἀλλ', εἴτις ἀγα-

---

omitti soleat, illud ὑπό genitivi loco collocatum esse pronuntiare non dubitat. Ac mihi quidem saepe multumque de hac re cogitanti satis persuasum est, esse illum genitivum pro singulorum locorum diversitate e diversis causis natum, ut qui ad unum omnia revocare constituerit, ei, ne praeconceptae nimis indulgeat opinioni, magnopere videndum sit. Sive enim participium per aliquam substantivi adsignificationem huius vim nactum ex se fundit genitivum, sive a passiva verbi notione casus secundus aliquo modo generatur, sive denique ex aliqua in dicendo brevitate hunc casum derivari oportet. Illud in iis tantum l. factum deprehenderim, ubi participium passivum aliquod sponte offerat substantivum, ut in illo hebraico Iob. 14. 1. אָדָם יְלוּד אִשָּׁה indeque ductis γεννητοῖς γυναικῶν apud Matthaeum 11, 11. et Lucam 7, 28. Etenim cuivis in huiuscemodi locutionibus *filii* notio occurrit, non magis, ac si poetam vernaculum canere audias: *die Entsprossenen der Weiber*, ut non differant illa ab his τεκὼν ἐκείνου *illius pater*. Tacit. Annal. 4, 25. adversum *eludentes optatae* toties *pugnae*, et similibus, nisi passivo. In eadem sententia fuerunt Hermann. ad Vig. p. 895. et 777. Seidler. ad Eurip. Electr. v. 123. Schulzius in censura vulgatae a Winero Grammaticae.* Sunt autem *mulierum filii* [γεννητοὶ γυναικῶν] a Matthaeo et Luca dicti non *doctores ecclesiae iudaicae*, ut Kuinoelius, quod de Ioanne propheta sermo instituatur [Matth. 11, 9. Luc. 7, 26.], opinatus est, sed quicunque a mulieribus partu editi filii. Iesus enim eximiam Ioannis dignitatem celebraturus, eum omnibus ad illud tempus natis hominibus maiorem appellat.* Sed alia est eorum l. ratio, ubi genitivus propterea cum participiis passivis coniungitur, vel quod hic casus *sua natura causam* significat, *a qua aliquid fiat*. [cf. Buttmann. et Hermann. ad Sophocl. Philoct. v. 3.], vel quod omnino *arctiorem* et *pius*, quam ipse contineat, et quae per participium declaretur, notionis *nexum* enuntiet. Illud exemplorum ubertate felix genus his illustro locis: Sophocl. Ai. v. 1332. τῶν φίλων νικώμενος victus

rabilis, quod πᾶς et οὐ in *duabus diversis sententiae partibus* obvia sunt, quo etiam pravius coniunguntur. Apoc. 22, 3. Καὶ πᾶν κατάθεμα οὐκ ἔσται ἔτι *quicquid exsecrationi dignum est, non reperietur amplius*. Poterat aeque recte dicere ἔσται ἀφανές, ut non iungenda esse οὐ πᾶν clarissime pateat. Act. 10, 14. οὐδέποτε ἔφαγον πᾶν κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον *quicquid est immundum, id nunquam comedi*. Quid faceres negatione, si, ut infra 11, 8., πᾶν prorsus esset omissum? Intolerabilis autem error commissus est in h. l. Apoc. 21, 27. καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτὴν πᾶν κοινόν, ubi, si cum V. D. iungas οὐ μὴ πᾶν, unde tandem, obsecro, suspensus erit coniunctivus εἰσέλθῃ? Quem quidem absolute non poni omnes norunt, nisi aut *in incertis interrogationibus*, τί ποιῶ; quid faciam? aut *in adhortationibus*, in prima quidem persona pluralis, ἴωμεν *eamus* [nam quod Homerus pro futuro eum aliquando ponit, id nihil huc pertinet], quorum cum nihil hic sit, unde pendebit iunctis v. οὐ μὴ πᾶν? At enim manifestum est, pendere eum ab οὐ μή, i. e. proprie οὐ φοβοῦμαι, δεινόν, μή [Cf. Herm. ad Eurip. Med. ed. Elmsl. ad v. 1120. Idem ad Soph. Philoct. v. 416. Schneider. ad Xenoph. Hieron. c. XI, §. 15.] vix, credo, intrabit aliquid impuri coelestem urbem. Eadem est ratio Apoc. 18, 22. Addo Apoc. 7, 16. οὐ πεινάσουσιν ἔτι, οὐδὲ διψήσουσιν ἔτι, οὐδὲ μὴ πέσῃ ἐπ' αὐτοὺς ὁ ἥλιος οὐδὲ πᾶν καῦμα. Hic illud non sinit οὐδὲ πᾶν coniungi, quod οὐδέ ut antea οὐδὲ διψήσουσιν et οὐδὲ μὴ πέσ. colligat universam sententiam, tum oppositio *solis*, qui et ipse suo aestu urit, et *ceterarum rerum omnium*, quae ardore suo molestiam creant [πᾶν καῦμα]. Sed quid ego singula sedulo loca colligo, cum esse illum errorem inde profectum appareat, quod

cum minus subtiliter V. D., quocum vocabulo hebraicum לא in eiusmodi locis cohaereret, inquisivissent, לא כל proxime compositum esse rati, Hebraismum male intellectum male ad N. T. transtulerunt, ut, quid ubique vel universa sententiarum compositio, vel grammatica adeo ratio flagitaret, non satis attenderent. Unde me operae pretium facturum speravi, si *οὐ* et hebraicum לא in huius generis locis cum verbo coniungi oportere, ostendissem. Videtur vulgatae sententiae iam a Winero dubitanter repetitae in Grammatica p. 53. nuper diffisus esse Schulzius, Uratislaviensis, in censura huius libri, vir praeclarus. Sed quod ille de his tribus, si recte memini, locis [Ephes. 5, 5. 2 Petr. 1, 20. Apoc. 22, 3.] pronuntiavit, id fuit ei de omnibus affirmandum.

CAPUT V.

Complectens disputationem de l. II Cor. X, 12, 13. et II Cor. XI, 1—5.

Non sine aliqua verecundia accedo nunc ad brevem disputationem de loco II Cor. X, 12, 13. cum propter summas ipsius, in quo interpretum satis atrocem discordiam lectionis quoque inconstantia auxit, difficultates, tum quod Emmerlingius, qui ita vulgatam scripturam sibi explicuisse visus est [in Exc. III.], ut suam sententiam cordatis interpretibus commendatum iri speraret, eo me deduxit, ut iudicio meo in hoc difficili loco paene diffiderem. Nihilo minus tamen hanc disputatio-

nem addendam esse putavi, quod sententiam, quam iam pridem conceperam, nulla interpretis arte lectionem vulgatam aptum sensum praebere, confirmatam vidi novo, sed irrito, ut opinor, Emmerlingii commode eam explicandi conatu. Cui sententiae probandae inservire volo, quae deinceps disputabo. – Inter calumnias, quibus P. adversarii carpserant, haec quoque fuerat, cum eum vano gloriae studio abreptum eiusmodi per epistolas in Corinthios minis uti iactassent, quas deinde, si Corinthum pervenisset, ad eventum non perduceret. Hanc igitur criminationem ita hic a se depellere studet, ut primum [v. 11.] se parem fore iis, quae minatus erat, praestandis ostendat, deinde a v. 12 — 16. abhorrentem a perverso hominum importune gloriantium more intra designatos sibi fines, qui Corintho non terminentur, se continere, in aliorum provincias mimine sese insinuare profiteatur. Priorem v. 12. partem *οὐ γὰρ – συνιστανόντων* nihil premit obscuritatis. Profert causam eius, quod v. 11. dixerat *τοῦτο λογιζέσθω – – ἔργῳ* se, qualis verbis fuerit, talem re et facto futurum, quae ratio in eo cernitur, quod nihil cum illis commune habeat, qui in sua laude commendanda sibi admodum placeant. *Τολμᾷν*, ut alias [Rom. XV, 18. I Cor. VI, 1.] ex asse respondet Latinorum *sustinere.* Non, inquit, a me impetro, ut in illorum me numerum inferam iisque me conferam [*συγκρίνειν* Syrus ܕܢܦܚܡ ܢܦܫܢ, alii, ut Morus in Progr. de h. l. Lips. 1781. p. 7. Iasp. Wahl. non differre ab *ἐγκρίνειν* existimant; praefero illud, quoniam in altera versus parte apertus est *comparandi* significatus. cf. Lobeck. ad Phryn. p. 278.] qui se ipsi commendant. *Τινές* sunt *quidam*, quos nominare nolo [cf. Herm. ad Viger. p. 731.] et

ἑαυτὸν συνιστάνειν magnum *semper* [cf. II Cor. III, 1.] est apud P. opprobrium, quoniam, ut infra v. 18. affirmat, nonnisi is probatus est, quem dominus commendaverit. Haec facilia. Sed in explicanda altera versus parte mira est interpretum dissensio. Qui vulgatam scripturam, quae post vocc. *ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς* inserta habet v. *οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δὲ*, vel defenderunt, vel explicuerunt, eorum commode possunt constitui duae classes. Nam alii v. *ἀλλὰ αὐτοὶ — οὐ συνιοῦσιν* de Pauli adversariis, alii de ipso P. dicta existimarunt. Qui ad P. retulerunt, eorum non una est in explicandis v. *οὐ συνιοῦσιν* voluntas. Nam sunt [Lamb. Bosius in Exercitt. p. 165., quem nuper secuti sunt Stolz. et Iasp.], qui *οὐ* ad praecedentia v. *μετροῦντες καὶ συγκρίνοντες* pertinere et *συνιοῦσιν* participium cum acerba Ironia P. obtrectatores appellari arbitrentur h. sensu: *sed meo me modulo metior et mihi me confero, non illis sapientibus scilicet.* Quae interpretatio non una de causa displicet. Nam primum quidem articulus ad v. *συνιοῦσιν* adiici, vel *τισίν* repeti debebat, cum P. non cum sapientibus h. e. ineptis hominibus in universum se neget contentionem instituturum esse, sed cum illis certis hominibus, qui sibi sapere videantur, quos ipsos supra satis notaverat v. *τισί τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων.* Accedit, quod Ap., quod valde alienum est ab h. l., ubi non quaerebatur, utrum saperent, an desiperent obtrectatores, sed illud dici attinebat, *suam illos ipsorum laudes canere*, fecisset, si eorum vel stultitiam, vel temeritatem aliqua Ironia perstrinxisset. At, dixerit quispiam, sapientes i. e. insipientes recte appellavit adversarios propter impotentem gloriae cupiditatem, adscito duce Chrysostomo, qui, postquam hanc ipsam interpretationem proposuit, his verbis,

cur *συνιόντας* obtrectatores nominaverit, exponit: *ἡ γὰρ τοιαύτη ἀπόνοια* [*τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων*] *ἀνοίας ἐστί.* Sed ne hoc quidem diserte dici magnopere huc pertinebat, tantum illud studium, quo laudi suae illi inservirent, ineptum esse, ubi nihil P. egit, nisi ut se ab illorum hominum agendi ratione, qui suam ipsi laudem celebrare solerent, abhorrere profiteretur, praesertim cum eiusmodi gloriandi studium Paulo improbari res ipsa declaret, et eum tam graviter in illos invehi propterea non sit verisimile, quod eos per universum h. locum lenius [cf. v. 18.] carpit, quos v. 12. [*τισί τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων*] ne appellaverit quidem. Denique verba *ἡμεῖς δέ* nullo modo hanc explicationem ferunt. Nam quonam tandem iure P., qui v. 12. ita non nisi *suam* agendi rationem exposuisset: *ego me* non insero iactatorum familiae, sed meo *me* pede metior, *mihi me* confero, non illis sapientibus, scil., dixerit *ἡμεῖς δὲ* v. 13., quae verba flagitant, ut praecedens sententia *aliorum* agendi rationem enarret, cui suam [*ἡμεῖς δὲ*] nunc recte opponat?*) Non multum discrepat ab hac, de qua hucusque locuti sumus, interpretatione eorum ratio, qui positis in Parenthesi verbis *ἀλλὰ αὐτοὶ – ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς* v. *οὐ συνιοῦσιν* in unam notionem coniuncta, ut *insipientes* significent, ad

*) Photius apud Oecum. in aliis omnibus consentit cum interpretatione, quam refutare cummaxime conati sumus, nisi quod *συνιοῦσι* a *σύνειμι* derivans per *τὸ πλῆθος* [congregatam multitudinem] mire explicat. Sensum ita expressit: *καὶ συγκρίνομεν ἑαυτοὺς οὐχὶ τοῖς συνιοῦσιν, τοὺς ἔξωθεν συνιόντας ποιούμενοι τῆς ἰδίας συγκρίσεως καὶ ἐξετάσεως, ἀλλὰ αὐτοὶ ἑαυτοὺς κριτὰς καὶ δικαστὰς προκαθίζοντες· Οἱ δὲ ψευδαπόστολοι καὶ ἑαυτοὺς συνιστάνοντες πρὸς ἀρέσκειαν τοῦ πλήθους πάντα ποιοῦσι· Ἀρκεῖ αὐτοῖς εἰς πᾶσαν εὐδαιμονίαν τὸ τῷ πλήθει τῶν συνιόντων αὐτοῖς ἀρέσκειν.*

vocc. πεϱὶ τ. ἑαυτ. συνιϛαν. pertinere opinati sunt, ut sensus hic evaderet: *non enim sustineo cum illis me comparare, qui se ipsi commendant* [sed me ex me ipse aestimo etc.] *cum illis, inquam, ineptis hominibus.* Quam interpretationem fateor mihi valde ineptam videri. Nam praeterquam quod eadem, quae in antecedenti reprehendimus, eam vitia urgent, hac etiam, ut paucis comprehendam, laborat labe, quod v. ἀλλὰ – ἑαυτοῖς non possunt Parenthesin constituere, quae manifestum est alteram partem primariae sententiae efficere, cum sibi respondeant οὐ γὰϱ τολμῶμεν et ἀλλὰ αὐτοὶ μετϱοῦντες. Praeterea non licuit Apostolo v. οὐ συνιοῦσιν ab his πεϱὶ τ. ἑ. συνιϛ. sine gravissima causa tantopere disiungere, quae nonnisi in *Parenthesi necessario proxime adiicienda* verbis ἑαυτοὺς συνιϛανόντων, post quae τοῖς οὐ συνιοῦσιν [nam Articulus omitti non poterat] collocari debebat, inesse potuisset. Sed frustra talem rationem circumspexeris.

His tam desperatis nostri loci rebus doct. Emmerlingius ita nuper succurrere studuit, ut οὐ συνιοῦσιν cum verbis proxime praecedentibus συγκϱίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς ad P. relatis coniungeret hac sententia: — — *sed me existimo ex me* [ut adversariis quidem placet] *insipido.* Quae interpretatio magnopere vereor, ut se *et simplicitate et cum sermonis paull. indole consilioque huius loci convenientia cordatis interpretibus commendet.* Repugnat enim, nisi fallor, legibus Grammatices et aliena est ab huius loci natura. Nam quod eam Grammatices praecepta tollere contendi, confessa res est, talem Appositionem, cuiusmodi inesse vult v. οὐ συνιοῦσιν, praefixum habere debuisse articulum [ἑαυτοῖς τοῖς οὐ συνιοῦσιν] cf. Matthiae *ausf. gr. Gr.* §. 276. Deinde

multis de causis me mirum habuit, quod οὐ συνιοῦσι ex illis Cap. XI et XII, locis, ubi P. se ἄφρονα appellavit, explicare voluit. Nam primum quidem talis Ironia, qua se, ut infra saepius, insipidum appellet, abhorret ab h. l., ubi sedato animo suam agendi rationem Corinthiis purgare studet. Deinde illud prorsus singulare est in hac Emmerl. sententia, quod sensus prodit ex ea illi contrarius, quem hic obtinere necesse est. Disputat, inquit E., ex mente adversariorum, cum se insipidum appellat. — Non aliter infra XI, 1. 16, 19. XII, 11., ubi nonnisi *quando aliquid in honorem sui prolaturus est*, se ἄφρονα nominat, ut, si nostrum locum ex illis illustrare placuerit, hoc diceretur: *ego, ut talis, qualem praedicatis, iactator gloriandi studio indulgeo.* At summa vi hoc agit, ut, quam sit alienus ab illis, qui se ipsi commendent, ostendat. Denique vero etiam hoc debebat Emmerl. ut suam interpretationem fulciret, demonstrare, Paulum οὐ συνιόντα eodem sensu, quo ἄφρονα de homine in gloriatione effusiori vel dixisse, vel dicere potuisse. Alia praeterea obstant huic explicationi, quae tamen, quoniam iam supra in prima explicatione vituperavimus [cf. quae de v. ἡμεῖς δὲ disputavimus], repetere hic nolumus. Quae autem attulimus, affatim docere videntur, Emmerlingii sententiam, si eam cordatis interpretibus commendatam voluerit, nova certe commendatione *) egere.

Altera interpretum, qui scripturam vulgatam tuiti sunt, classis eorum est, qui αὐτοί etc. ad Pauli obtrectatores pertinere opinati sunt. Sed ne

*) Typotheta cum me invito posuisset *commentatione*, haud obscure Emmerlingium, ut nova commentatione suam sententiam apud cordatos interpretes iuvaret, provocavit.

horum quidem una mens est. Alii [Hammondus, Clericus, nuper Schottus] *συνιοῦσιν* pro 3. Persona Plur. in Praes. habentes, [cf. Matth. XIII, 13. unde lectionem *συνιᾶσιν**) ab iis profectam esse intelligitur, qui usitatas et atticas (vid. Porson. ad Eurip. Orest. v. 141. male enim Brunck. ad Soph. Oed. Tyr. v. 627.) formas intrudere nostris voluerunt] sensum ita enarrant: *Sed illi* [iactatores], *dum sibi se conferunt, intelligentia carent.* Non dissident ab his, si sensus, qui explicando efficitur, rationem habeas, alii, ut Chrysostomus, qui eum h. modo descripsit: *ἢ περὶ ἑαυτοῦ οὖν τοῦτό φησιν ἢ περὶ ἐκείνων, ὅτι οὐ τολμῶμεν συγκρῖναι ἑαυτοὺς ἐκείνοις τοῖς μεγάλα κομπάζουσι, καὶ μὴ συνιοῦσι, πῶς εἰσι καταγέλαστοι τοιαῦτα ἀλαζονευόμενοι καὶ μεταξὺ ἀλλήλων ἐπαίροντες·* quamquam ratio, qua sensum eliciunt, eo diversa est, quod hi *συνιοῦσιν*, ut Participium, referunt ad *τισὶ τ. ἑ. σ.*, et quod illi universe accipiunt *οὐ συνιοῦσι ineptiunt*, id accuratius explicant, quidnam illi non intelligant, adiicientes. At non potest *ἀλλὰ αὐτοὶ* etc. de P. obtrectatoribus intelligi propterea, quod manifesto *duae agendi rationes* [*οὐ τολμῶμεν ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι—ἀλλὰ μετροῦντες καὶ συγκρίνοντες*] *non duae personae* sibi opponuntur, quod sic fieri debuisset: *ἡμεῖς γὰρ οὐ τολμ.* etc. *ἀλλὰ αὐτοὶ* sive *ἐκεῖνοι μετροῦντες* etc. Deinde ut lubenter concedam, formulam *μετρεῖν ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς* per se posse in malam partem dici, ut h. l. de iactatoribus [*τισί τ. ἑ. συνιστανόντων*] usurpatum suo eos ad iactationem propenso ingenio vivere significet,

*) Has duas formas crebro in Codc. permutatas esse cum summa earum similitudo probabile reddat, tum exemplis bene multis firmatur, cf. Lucian. Q. S. H. C. c. 44. ubi *συνεῖναι* et *συνιέναι* et Ver. Hist. I, 1. *ἀνεῖναι* et *ἀνιέναι* confusa videbis.

verba οὐ συνιοῦσιν tamen cum illis explicare recte dubitaverim. Nam neque quem Chrysostomus effecit, sensum: non vident, quam sint ridiculi, neque quem alii: non animadvertunt, se perperam agere, nesciunt, quid sibi velint et sic porro, aliqua machina e voc. συνιᾶσιν extundas. Denique remotum est ab huius loci consilio non minus hoc, quod sponte patuisset, dici: illi sibi se conferentes inepti sunt, quoniam P. non perversitatem illorum iactatorum, sed se ab eorum iactationis studio alienissimum esse ostendere vult, quam illud: *non intelligunt suae gloriationis vanitatem*, quoniam hic in eorum coecitatem et iactationis perseverantiam invehi Apostolum non attinet. Praetuli olim, ut palmam ei deferrem, Bezae aliorumque explicationem ceteris omnibus, qua οὐ συνιοῦσιν μετροῦντες καὶ συγκρίνοντες coniunguntur [v. Matthiae *ausf. gr. Gr.* §. 548.] h. sensu: *illi non intelligunt, ipsos ex se ipsis* [sua perversa indole] *sese existimare* h. e. illi ad iactationis, qua laborant, vitium coecutiunt. Ita sane συνιᾶσιν offensione caret, cum illud non lateat, quod iactatores non intelligant. Sed iam dudum hanc sententiam deposui, quoniam omnes reprehensiones illa habet, quas in praecedentem modo congessi. Itaque ingenue fateor, me non intelligere, quomodo scriptura vulgaris recte explicari possit, ut non pigeat in altera lectione, quae verba οὐ συνιοῦσιν. Ἡμεῖς δὲ omittit, unicam nostro loco medelam quaerere.

Egregie, opinor, hac admissa, universus locus cohaeret. Nam αὐτοί de P. ipso dictum cum καυχησόμεθα construendum est sensu aptissimo hoc: *sed me ex meo modulo metiens mihique me conferens non praeter modum* [εἰς τὰ ἄμετρα] *sed ad modum ita mihi praefiniti a deo spatii, ut ad vos usque pervenirem, gloriabor.* Hoc modo

interpretatus non solum nullam fraudem linguae legibus feceris, sed nanciscaris etiam aptissime conclusam sententiam. Nam cum priori v. 12. parte [οὐ γὰρ – συνιστάν.] haec duo confirmaverit P.: non confero me cum quibusdam hominibus [οὐ τολμ. ἐγκρ. κ. συγκρ.], et illi homines, quibuscum me non comparo, suas laudes canunt [τ. τ. ἑ. συνιστ.] huic utrique sententiae exacte respondet altera versus pars ἀλλὰ – καυχησόμ., ubi primum se sibimet ipsum sese conferre affirmat [ἀλλὰ αὐτοὶ – ἑαυτοῖς quae illis opposita sunt οὐ τολμ. ἐγκρ. etc.], deinde se non modum excedere gloriando [οὐχὶ εἰς τ. ἄμ. καυχησ., quae respondent verbis τισί τ. ἑ. συνισταν. nam qui se ipse in honorem adducere studet, modum excedit. cf. v. 18.]. Sed restat, quo hanc interpret. a reprehensione, nosmet ipsos a temeritatis crimine vindicemus, ut, quale robur ea subsidia critica habeant, quae hanc ipsam lectionem praebent, tum annon ei obstet, si vera sit, quorundam codicum lectio, qui καυχησάμεθα prorsus omittunt, paucis videamus.

Constat hanc lectionem, quam defendimus, afferre tantummodo subsidia, quae pertinent ad recensionem occidentalem, tres Cod. graecolat. vers. lat. vet., vers. lat. in Ambrosiastri Commentario paucosque Patres lat. [cf. Griesb.]; versionem contra Vulg. et Patres quosdam post Augustini aetatem praebere ἡμεῖς δὲ omissis verbis οὐ συνιοῦσιν; ceterarum denique recensionum Cod. Vers. et Patr. οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δέ constantissime retinere. Iam quamquam ambigua est de pretio, quod recensionis occidentalis solius, cum nulla alia adiuvatur, auctoritati statuendum sit, quaestio, hoc tamen apparet, et satis antiquam esse, quippe quae in Vers. lat. Vet. iam obvia sit, nostram lectionem et

ita comparatam, ut ex interpretamento quidem proficisci non potuerit. Nam quemadmodum omnino a lectionibus, quae aliquid omittunt, interpretamentorum, quae scriptorum verbis addunt potius, quam detrahunt, longius abest suspicio, ita h. l. non est existimandum, v. οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δέ omissa esse ab illo, qui Vers. lat. Vet. conficeret, primum quod hic, quemadmodum versionum latinarum auctores antiquitus fere omnes, summa cum religione singula Cod. graeci verba, saepe contra ipsum linguae latinae usum et naturam, transferre solet, deinde quod, quemadmodum Patres graeci lectionem vulgatam, quomodo explicarent, habuerunt, haud dubie hic quoque aliquo modo illa verba intellexisset. Contra non uno modo fieri potuit, ut v. οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δέ continuae orationi insererentur. Sive enim cum Millio Proleg. §. 476. haec v. illata ab illis existimes, qui ἀλλὰ αὐτοὶ – ἑαυτοῖς in Pauli adversarios per Aposiopesin dicta esse opinati praeruptam orationem in margine per v. οὐ συνιοῦσιν suppleverint, nemo hoc incredibile esse contendet, sive cum Semlero v. οὐ συνιοῦσιν primum verbis τισί τῶν ἑ. συνιστ. explicationis causa adscripta deinde ab aliis in ordinem recepta esse censeas, neque hoc omnem fidem excedere ostenderis [Summa est enim aliis se venditantium amentia cf. XII, 11.]. Postquam autem v. οὐ συνιοῦσιν legebantur, ἡμεῖς δέ, quod ad sequentis sententiae integritatem necessario requirebatur, diu abesse non potuit. Itaque non piget cum Millio, Bengelio, Semlero [in notis ad Paraphr.] et Moro l. l. lectionem, qua inducta sunt v. οὐ συνιοῦσιν· Ἡμεῖς δέ longe vulgatae praeferre, nisi forte lectio Cod. Claromont. et Vers. lat. apud Sabatierium, quae καυχήσομ. v. 13. prorsus delet, et nostrae inter-

pretationi fraudi sit et impediat, quo minus οὐ συν· ἡμ. δέ omissa a Paulo esse arbitremur. Quam minime credo nostrae explicationi impedimento futuram. Nam ut deleas voc. καυχησόμεθα, perturbatior quidem evadit oratio, nihilominus tamen ita decurrit, ut, appositis ad quodque vocabulum, ut in P. mente eas excitavit, sententiis, versu demum 15 ad ea, per quae ad alia abreptus fuerat, οὐκ εἰς τὰ ἄμετρα [cf. v. 13.] redeat verbumque sententiae necessarium addat. [ἀλλὰ αὐτοὶ -- οὐκ εἰς τὰ ἄμετρα v. 13. -- v. 15. οὐκ εἰς τὰ ἄμετρα καυχώμενοι *sed me ipse mihi conferens non praeter modum -- v. 15. non praeter modum inquam, me efferens*]. Quod Particip. καυχώμενοι, non verbum finitum positum est, non potest molestum esse, cum per Anacoluthon saepius sacri etiam scriptores constructionem per participia inchoatam non absolvant.*) Quodsi quaeris, quid-

*) Longum est, vel universam participii rationem exponere, vel ea certe complecti dicendi genera, ubi alieno illud loco collocari interpretibus visum fuerit. Quare praetermissis iis, ubi ex aliis causis explicandum sit [cf. Hermann. ad, Vig. 770 et 776.] quo firmem explicationem supra propositam, de ea nunc maxime tractabo loquendi ratione, ubi e sermonis anacolutho explanari participium debeat, in quam rem praecepit summus Hermannus ad Soph. Oed. Tyr. v. 733. et Eur. Bacch. v. 472. Haud raro enim factum est, ut scriptores participia verbo finito, unde penderent, destituerent, vel quod omnino impeditiori orationi exitum non invenirent, vel in secundarias, quae per participia efferuntur, notiones versi primariae verbo finito enuntiandae, unde iam suspenderant participia, obliviscerentur. Sic nostro l. μετροῦντες — συγκρίνοντες — — καυχώμενοι — ἐλπίδα ἔχοντες suspensa sunt a nescio quo communiore verbo, cui illa participia bene omnia subiecta sint, v. c. *aetatem ago* h. s.: *Non me insero inflatis hominibus, sed — meo me pede metiens — mihi me conferens* — κατὰ

nam ego de hac scriptura existimem, eam, quamvis paucissimos auctores habeat, tamen alteri, quae v. 13. vel καυχησόμεθα, vel καυχώμενοι praebet, longe praeponendam duco. Valde enim consentanea est huic loco, ubi P. singulis verbis ad ea, quae deinde scripsit, perductus [vocabula εἰς τὰ ἄμετρα gignunt ἀλλὰ κατὰ τὸ μέτρον etc., verba ἐφικέσθαι ἄχρι καὶ ὑμῶν versus 14. priorem partem οὐ γὰρ ὡς μὴ ἐφικνούμενοι etc.; haec verba eius-

τὸ μέτρον τοῦ κανόνος *gloriana — spem alens, fore* etc. — *aetatem ago.* Quod quidem hic factum tanto minus mirabitur, qui, quam facile P. in secundarias notiones plene proferendas intentus, participia verbo suo privare potuerit, satis reputaverit. Simillimum anacoluthon habes 2 Petr. 1, 17. λαβὼν γὰρ παρὰ τοῦ πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν κ. τ. λ. Nam cum hoc dicere Ap. constituisset: *Iesus a deo per coelestem vocem Messias salutatus nos habuit huius rei testes et spectatores*, sic composuit v. 17. participio λαβὼν orationem, ut v. 18. εἶχεν ἡμᾶς σὺν ἑαυτῷ ἀκούοντας τὴν φωνὴν ἐξ οὐρανοῦ ἐνεχθεῖσαν, vel simili modo pergendum esset. Sed pluribus interpositis [φωνῆς ἐνεχθείσης - τοιᾶσδε - οὗτος κ. τ. λ.] immemor participii λαβὼν, notiones, quas illud requisivit, nova potius sententia [v. 18. καὶ ταύτην κ. τ. λ.], quasi integrum sermonem [ἔλαβε γὰρ] praemisisset, non per participium λαβὼν suspensum reliquisset, quam verbis ad λαβὼν consentaneis expressit. Frustra igitur fuerunt interpretes [v. c. Pott. ad h. l. Koppius ad Rom. 9, 28.], qui participium pro verbo finito positum rati ad λαβὼν suppleverunt ἦν. Sed recte Stolzius praeeunte Syro [— — (v. 17.) ܟܕ ܢܣܒ (v. 18.) ܘܗܢܐ ܩܠܐ ܫܡܥܢ] verbis v. 18. καὶ ταύτην τὴν φωνὴν apodosin incipere intellexit. Idem valet de l. Act. 24, 5. εὑρόντες γὰρ τὸν ἄ. τ. λ. κ. κ. στ. - πρωτοστάτην δὲ - - ὃς κ. ἐ - ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, ubi longe a vero aberrarunt, qui [v. c. Fisch. ad Well. III. b. 8. Kuinoel. al.] participium εὑρόντες pro verbo finito εὕρομεν positum esse opinati sunt. Lucas enim ipso parti-

dem versus alteram partem *ἄχρι γάρ* etc.] non prius verbo concludere sententiam potuerit, quam omnia elocutus esset, quae singulae, quas posuerat, voculae menti obtulissent. Unde intermissum orationis filum v. 15. ita repetit, ut ad verba iam supra posita [*οὐχὶ εἰς τὰ ἄμετρα*] participium tantummodo addat *καυχώμενοι*. Quae si recte disputata sunt; facile est iudicium de scriptura v. 13. *καυχώμενοι* et *καυχησόμεθα*. Nam qui Apostolum

---

cipio indice dicturus: *εὑρόντες* — — [v. 6.] *ἐκρατήσαμεν αὐτόν*, sic conformavit orationem, ut vv. *ὃς καὶ τὸ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι*, quae perfecto iam sermone accuratius definiendo viro apta viderentur, in participii oblivionem adductus verbum ad participium necessarium non legitime ad *εὑρόντες* [*ἐκρατήσαμεν αὐτόν*] in una sententia coniungeret, sed tanquam novam enuntiationem per anacoluthon non nisi annecteret. Unum addo l. Marc. XII, 5. *καὶ ἄλλον ἀπέστειλε· κἀκεῖνον ἀπέκτειναν· καὶ πολλοὺς ἄλλους, τοὺς μὲν δέροντες, τοὺς δὲ ἀποκτείνοντες*, ubi tamen verbum ad participia repetendum est, sed quale, id quaeritur. Manifestum est autem, eiusmodi esse mente addendum verbum, quod *utrumque* [*τὸ ἀποκτείνειν* et *τὸ δέρειν*] *comprehendat*, et *hanc rationem* designet, *qua in missos ministros omnes consuluerint* i. e. *ἠτίμουν* vel *huius notionis* aliud, h. s.: *et multos alios* legatos, partim feriendo partim *interficiendo, dehonestarunt*. Quotquot enim dominus miserat, eos omnes, quamquam diversis modis, dehonestaverant vindemiatores. Winerus [Gr. p. 106.], quod mireris, e praegressis repeti vult *ἀπέκτειναν*. Itane? Num sic illi vinitores *occiderunt* nonnullos legatos, ut eos *non occiderent* quidem, sed male mulcarent? Ne ille mihi eiusmodi obtendat l., ubi ita duo vocabula ad primarium in sententia verbum referuntur, ut alterum tantummodo aptum sit. Id enim vel *rei prorsus oppositae simul efferendae causa*, ut inepta adeo interdum evaserit oratio, ut illius iurisiurandi Spartanorum apud Strabonem: *ὀμόσαντες μὴ πρότερον ἐπανήξειν, πρὶν ἢ Μεσσήνην ἀνελεῖν, ἢ πάντας ἀποθανεῖν·* [cf. Lobeck, ad Phryn. Ecl. p. 751.] vel *omnia complectendi*

v. 15. ad verba v. 13. *οὐχὶ εἰς τὰ ἄμετρα* reverti recte intellexissent, *καυχώμενοι* v. 13. ad marginem adscripserunt, quod deinde in ordinem illatum ab aliis, postquam v. *οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δέ* in textis legebantur, ut constructio melius flueret, in v. *καυχησόμεθα* mutatum est. Quodsi verum est, neque *καυχώμενοι*, neque *καυχησώμεθα* v. 13. a Paulo profectum esse, nova aderat causa iis, qui hanc impeditiorem sententiarum comprehensio-

---

studio, ut in illo Sophoclis Ant. 1095. *ἴτ' ἴτ' ὀπάονες, οἵτ' ὄντες, οἵτ' ἀπόντες* [cf Lobeck. l. l. p. 754., cuius egregiis copiis addam domi collecta haec: Soph. Phil. v. 1261. *καὶ τἄρα γ' ἴσθ' ἢ λέγω.* [ubi vid. Herm.] Aeschyl. Sept. ad Theb. v. 197. *ἀνὴρ γυνή τε, χὤτι τῶν μεταίχμιον* [ubi vid. Schuetz.] Sallust. Iug. 54. armis aut deditione, *aut quovis modo* bellum conficeret Ib. 44. — postremo *quaecunque dici aut fingi queunt* probra, in illo exercitu cuncta fuere *et alia amplius*. Cf. etiam Porson. ad Eurip. Hecub. v. 780.] vel aliis rationibus non magis nostro l. consentaneis factum esse novimus. Peius etiam mancam orationem suppleverunt Camerarius, qui ad *πολλοὺς ἄλλους* adiecit *οὕτω διέθηκαν* et Er. Schmidius, qu *ἀπέστειλεν, οὓς ἐξεδέξαντο* (?) addidit. Neque enim perspicias, quo iure *οὕτω*, a quo ipso participia penderent, omitti potuerit, atque multo minus illud intelligas, quomodo ad *πολλοὺς ἄλλους* repetito *ἀπέστειλε* v. *τοὺς μὲν δέροντες, τ. δ. ἀ.* e sententia per relativum annexa, cuius praetermissae nemo quisquam idoneam afferat rationem, apta esse possint. Neque tamen saniora amplexus est Kuinoelius, qui sic complere orationem voluit: *καὶ πολλοὺς ἄλλους ἀπέστειλεν, ὧν τοὺς μὲν δέροντες, τοὺς δ. ἀ. ἦσαν*, et male ille accusativis *τοὺς μὲν — τοὺς δέ* omissum scil. pronomen relativum, quod sic deesse nunquam potest, praemittens, et participia *δέροντες — ἀποκτείνοντες* e vetusta interpretum sententia pro verbis finitis posita esse ratus. Constat enim et profanorum scriptorum interpretes participia in verbi finiti locum succedere posse existimasse, refutatos illos ab Hermanno ad Vig. 770.

nem [v. 12 — 15.] non recte perspexissent, si v. *ἀλλὰ αὐτοὶ — — ἑαυτοῖς* de P. adversariis explicuissent, mancam, quae videretur, v. 13. orationem supplendi, unde novum praesidium ad nostram de v. *οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δέ* ex interpretationis studio natis sententiam accedere perspicuum est. Iam quamquam non ignoramus, paucos interpretes v. *οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δέ* tot codicum, Vers. Patrum denique testimoniis comprobata illa nobiscum de-

---

776. cf. etiam Stallb. ad Eutyphr. p. 70. et 99., et N. T. enarratores non aliter sentire, huius rei causas e lingua hebraica, ubi participium *pro cuiusque* temporis verbo finito ponatur [Gesen. *Lehrgeb.* p. 791.], repetentes. Sed iniuria ita de Hebraeis existimes. Non enim illi *participio pro verbo finito utuntur*, quod sine Modorum perturbatione fieri non posset, sed verbum finitum circumscribunt per participium et verbum substantivum, quod ipsum tamen saepius omittunt, quam adiiciunt [Gesen. *Lehrgeb.* p. 792. 2 seqq.]. Inde autem apparet, et participium *nunquam suam vim exuere*, et ternorum temporum, quam in participio odorati sunt, significationem non *participio*, sed *copula*, cuius pro cuiusque loci natura *vel praesens*, *vel praeteritum*, *vel futurum* cogitatione adiici debeat, contineri, ut participium quidem nunquam excedat tempus praesens. Sic, ut in pervulgatis exemplis consistam, Ps. 4. 7. רַבִּים אֹמְרִים multi [sunt] dicentes Genes. 2. 10. וְנָהָר יֹצֵא מֵעֵדֶן *fluvius* [fuit] *manans ex Eden* h. e. fuit praesens tempus, cum flueret. Genes. 17. 19. שָׂרָה אִשְׁתְּךָ יֹלֶדֶת לְךָ בֵּן *Sarah, tua coniunx*, [erit] *pariens tibi filium* h. e. erit praesens tempus, quo Sarah enitatur. Neque est, quod verbum substantivum toties in hac causa omitti ab Hebraeis mireris. Facile enim in lingua hebraica, quae non magno verborum circuitu multa comprehendere, sed in minuta quasi membra orationem discerpere soleat, e cuiusque l. nexu et omissum verbum substantivum esse, et quale eius requiratur tempus, cognoscitur; quod si a graecis in media periodo commis-

leturos, tamen nostram sententiam, quoniam vera nobis videbatur, intrepide proponendam putavimus, non veriti, ne quis nos vano potius novandi studio, quam argumentis idoneis ductos existimaret.

Sequitur nunc, ut de loco II Cor. XI, 4. brevem disputationem ingrediamur, in quo succensemus iure nostro interpretibus, non solum, quod explicationes confinxerunt, quae cum verbis graecis, ut ea quidem vulgo leguntur, non possunt conciliari, sed quod ea ne posse quidem explicari, nisi quid in scriptura immutaveris, nemo animadvertit. Sed quoniam de illo versu accurate dici non potest, nisi de v. 3. sententia sa-

---

sum esset, summa oritura fuisset sermonis obscuritas, unde, ubicunque apud hos εἶναι deest, et deesse posse, et quale eius desit vel tempus, vel modus, cohaerentia docet, ut ex allatis a Schaefero Melet. cr. p. 43 sq. patet exemplis. Quocirca quando apud hos ipsos ad aliquod participium verbum εἶναι supplendum sit, et hoc debet facile a scriptore omitti potuisse, et eo mente addito tantum abest, ut participium pro verbo finito locatum sit, ut sua ei via vel maxime salva maneat. Sed in magnam molem haec excresceret disputatio, si omnia illa pertractare l. constituissem, ubi interpretes participia pro verbis finitis ex illo videlicet Hebraismo adhibita sibi finxerint. Sed nonnulla e II. ad Cor. epistola petita l., quibus ipse in hac causa abusus sit Emmerlingius, spero me sine fraude perlustraturum. Male et satis temere id 1, 21, 22. de partic. βεβαιῶν – χρίσας – σφραγισάμενος – δοὺς valere contendit, „participia, inquiens, *ex more nostri ita ponuntur, ut εἰμι omissum sit*" Enimvero nemo non intellexit, εἰμι ad Θεὸς potius cogitando addendum esse, ut participia quidem sana sint h. m.: *me confirmans — atque inaugurans deus est — etiam me corroborans et spiritum mihi largiens* scil. est deus.

tis constet, non spero apud V. D. crimini mihi futurum, si ab initio statim Capitis XI. hanc me-

---

Non melius VIII, 3. 4. v. αὐθαίρετοι et δεόμενοι explet cogitatione adsumto ἦσαν. Manifesto enim haec verba in oratione, quae sine ulla offensa decurrit, cohaerent cum ἔδωκαν, v. 5. h. r.: *nam pro viribus, quin ultra vires – ipsi volentes – a me petentes, ut – – neque pro nostra spe dederunt* [*contulerunt* ἔδωκαν, quod e seqq. ἑαυτοὺς ἔδωκαν duci oportet. cf. Dissert. I. p. 34.] *sed se ipsos quasi dederunt domino.* Neque VII, 5. θλιβόμενοι mente adiecto ἤμεθα in verbi finiti locum successisse confirmem [ἀλλ' ἐν παντὶ ἐθλιβόμεθα]. Etenim non dubito, quin P. ante cogitatorum, quam dictorum tenacior per anacoluthon participio θλιβόμενοι sermonem continuaverit, quasi pro οὐδεμίαν ἔσχηκεν ἄνεσιν ἡ σὰρξ ἡμῶν, quod sensu non mutato fieri potuit, scripsisset: οὐδὲ ἤμεθα ἄνεσιν ἔχοντες, quo apteiam pergat: ἀλλ' ἐν παντὶ θλιβόμενοι. Hoc modo interpretatus ἤμεθα quidem ad θλιβόμενοι cogitando adiicere debebis, sed quod tamen e verbis praecedentibus repetatur, ut θλιβόμενοι suam participii vim retineat h. r.: *non eramus requietem habentes, sed* [eramus] *perpetuis calamitatibus immersi.* Optimo iure comparari potest I, 6. 7. coniunctis cum Syro [[illegible]] vv. καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν, εἰδότες κ. τ. λ. ut participio P. pergat, velut pro καὶ ἡ ἐλπὶς–ὑμῶν antea dixerit καὶ βεβαίως ἐλπίζομεν ὑπὲρ ὑ. Hanc interpretationem recta sententiarum v. 6–8. ratio flagitare videtur: *Utramcunque,* inquit, *fortunam experiar, hanc eo fine, ut consolatio et salus in vos redundet, in me suscipio; quam quidem* [re vera] *vobis contingere spero, quod vos non solum in malis, sed etiam in solatio socios mihi futuros persuasum est.* Quapropter importune v. καὶ ἡ ἐλπὶς – ὑμῶν vulgo parenthesi includunt, ut εἰδότες ad πάσχομεν referre liceat. Ex eodem illo sermonis anacolutho participium χειροτονηθεὶς explico II Cor. 8, 19. Nam ut, de quo I. plura cum fructu disputare possem, de eo brevi, quid sentiam, praecidam, στελλόμενοι v. 20. et προνοούμενοι v. 21., quemadmodum iam dudum intellectum est [velut a Theodoreto, qui his v. ad v. 20. explicationem accedit: λέγει δὲ καὶ τίνος χάριν τὸν

am disputationem exorsus fuero, praesertim cum per hanc opportunitatem de quibusdam haud levibus rebus utiliter disserere liceat.

τοσοῦτον ἀπέστειλεν ἄνδρα] cum v. συνεπέμψαμεν cohaerent, χειροτονηθείς autem, quoniam pro scriptis v. οὗ -- ἐκκλησιῶν sententia animo obversaretur sic expressa: ὅς ἐστιν ἐπαινούμενος ἐ. τ. ε. δ. π. τ. ἐ. hanc ferme habet rationem: οὐ μόνον [sc. ἔστιν ἐπαινούμενος ἐ. τ. ε. δ. π. τ. ἐ.] ἀλλὰ καὶ χειροτονηθείς. *M i s i m u s cum eo illum, quem nostis, fratrem, qui est vir celebratus in omnibus coetibus chr., neque solum celebratus - sed etiam electus - v e r i t i - o p e r a m d a n t e s* etc. Unde de ea facile iudicari poterit lectionis varietate, qua nonnulli [v. Griesb.] post ἡμῶν v. 19. inserunt ἐγένετο et pro προνοούμενοι v. 21. exhibent προνοοῦμεν γάρ. Nimirum male intellectam verborum compositionem male adiuverunt. Codicis autem σ apud Matthaeium, qui pro ἀλλὰ καὶ χειροτονηθείς praebet ἀλλ' ὅτι καὶ χειροτονηθείς ἐστι, ab eiusmodi homine profecta est lectio, qui concisam P. orationem sic plenam reddidit: οὐ μόνον δὲ τοῦτο λέγω, ἀλλ' ὅτι καὶ χειροτονηθείς ἐστι. Sed eidem illi rationi, quam labefactare cummaxime studuimus, ipse favit Winérus [Gr. 106. 7.], ex aliquo cogitandi vitio eius causas ducens. Quippe censuit, N. T. scriptores notiones per verbum finitum declarandas praecedenti verbo subiecisse. Verumtamen huic equidem sententiae audacter repugnabo, usquedum idoneis eam locis stabiliverit. Gravius enim, qui *notionum parium* alteram alteri subdit, peccat, quam ut id sine certissimis testimoniis factum a quoquam arbitrer. Tria autem, quibus W. sententiam suam suffultam voluit, omnia eiusmodi sunt, ut bene habeant participia. II Petr. 2, 1. Ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται ἐν τῷ λαῷ, ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι, οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας καὶ τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι, ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν. falso referens ἀρνούμενοι et ἐπάγοντες ad παρεισάξουσιν cum plerisque interpretibus [v. c. Carpzovio, Potto al.] participia verborum finitorum loco collocata esse statuit. Quin v. ἀρνούμενοι - ἐπάγοντες non minus, quam οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας apposita sunt ad ψευδοδιδάσκαλοι, ut sincera et participia

Apostolus per falsos doctores, quorum iam invaluerat Corinthi auctoritas [X, 12. XI, 4, 20. XII, 11.], de suis virtutibus vel per natales acceptis [XI, 22.] vel singulari de re Christiana [XI, 6. 23.] et de ipsis maxime Corinthiis merito comparatis [XI, 7 sq.] amplius dicendi necessitatem

---

et sensum nanciscare' h. m.: *quemadmodum etiam inter vos exorientur falsi doctores, perniciosas doctrinas spargentes, dominum abnegantes, – sibi interitum parantes.* Quae participia ne forte a v. Ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται apta iudicemus, vel eo deterreamur, quod quae proxime subiunguntur: καὶ πολλοὶ ἐξακολουθήσουσιν, ea haud dubie illorum v. ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι habita ratione proloquitur scriptor. Sed Rom. 5, 11. ne vel καυχώμενοι cum plerisque interpretibus pro καυχώμεθα dictum accipias, vel nonnullorum subsidiorum crit. [cf. Griesb.] lectionem καυχώμεθα a correctore illam natam assensu comprobes, ipsius l., qui gradationem continet, monere potest ratio. Non enim τὸ καυχᾶσθαι ἐν τῷ θεῷ tanquam maius opponi potest τῷ σωθῆναι, quod *felicitate messiana potiri* significat, ut quod ita summum sit, ut nihil magis, neque omnino recte opponi, cum utrumque sic coniunctum sit, ut, qui τὸ σωθῆναι adeptus fuerit, recte idem deum sibi propitium gratulari possit. Quare repetita ad οὐ μόνον δὲ praecedente sententia si καυχώμενοι cum σωθησόμεθα coniunxeris, et grammaticae et sensui pariter prospexeris h. r.: οὐ μόνον δὲ καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν τῷ θεῷ σωθησόμεθα κ. τ. λ. – non solum velut homines, qui in gratiam cum numine redierint, sed etiam tanquam tales, qui de favore div. exsultent, salvi erimus. Vulgari sententiae iam diffisus est V. Ammonius. Sed quod v. σωθησόμεθα e longinquo, [v. v. 9.] contra, quam fas erat, arcessivit, id licuit ipsi e vicinia petere. Apertissima denique natura est l. 2 Cor. 4. 13., ubi ἔχοντες a v. καὶ ἡμεῖς πιστεύομεν effictis illis ad interpositum oraculum div. ita suspensum est, ut καί sit *etiam* h. r.: *eodem fiduciae spiritu instructi, qui in illa V. T. voce lucet, – – etiam nos fiducia utimur* etc. – Τοιόνδ' ἀπέβη τόδε πρᾶγμα!

sibi esse impositam cernens, ad excusandam hanc suarum laudum celebrationem, tanto rectius hac utitur ironica sententia: *Utinam nunc paululum feratis meam in me laudando temeritatem:* quanto acrius et illos sua canentes merita pervellerat [X, 12.], et quanto magis abhorrere a suo ingenio laudis inprimis detractae aliis studium [X, 13 sq.] modo contenderat, quod illum unice probatum existimaret, non qui suas ipse virtutes praedicaret, sed quem dominus commendasset [X, 18.]. Sed haec sententia quomodo a Paulo ipso expressa fuerit, non est facile ad decernendum. Sic enim variant Cod. et in vocc. ὄφελον et ἀνείχεσθε scribendis et in vocula τι vel addenda vel demenda, denique in Casu vel Genitivo, vel Dativo Nominis ἀφροσύνῃ [cf. Griesb. et Matth.], ut Matthaeius de restituenda genuina lectione prorsus desperaverit. At ut primariam verborum ὄφελον et ἀνείχεσθε scripturam difficulter constituas, cum harum utraque, quam Codd. praebent, forma [ὤφελον et ὄφελον. ἠνείχεσθε et ἀνείχεσθε] et per se recte habeat [Fisch. ad Well. III, a, 148. Matthiae Gr. pg. 202. Winer Gr. pg. 32. 1.], et neutrius ad sensum ulla vis sit, nisi forte, ut cum Griesbachio ἀνείχεσθε haud dubie praeferas, Ioannis aliorumque veterum Grammaticorum [cf. Pierson. ad Moer. p. 176.], qui ἠνείχεσθε Atticorum, ἀνείχεσθε Hellenistarum esse contendunt, valebit auctoritas, expeditius tamen de diversitate in ἀφροσύνης vocabulo conspicua et multitudo Codicum, qui τῇ ἀφροσύνῃ tuentur, et ipsa huius lectionis natura nostrum facit iudicium. Etenim τῆς ἀφροσύνης ab iis insertum esse apparet, qui vel μικρόν substantive positum Genitivum ἀφροσύνης requirere [Vulgatus: Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae], vel voce μικρόν ad tempus relata ver-

bum *ἀνέχεσθαι* in eo, quod regat, Nomine [*ὄφελον ἀνείχ. μ. μ. τῆς ἀφροσ.* quam vellem vos aliquantisper ferre meam temeritatem] secundum [II Tim. 4. 3. Matth. 17, 17. Ephes. 4, 2.] flagitare, tertium prorsus respuere arbitrabantur Casum. Quam quidem opinionem ii quoque omnes [v. c. Wetsten. Winer. Gr. p. 150. Emmerl. al.] procul dubio foverunt, qui Dativum *τῇ ἀφροσύνῃ* recte illum a Griesbachio probatum interpretati sunt per *circa* h. modo: *Utinam aliquamdiu me feratis circa meam temeritatem.* Sed componitur *ἀνέχεσθαι* interdum, quamquam rarius, etiam cum Dativo II Thess. 1, 4. *ἐν ταῖς θλίψεσιν, αἷς ἀνέχεσθε* *) Eurip. Androm. 981. *συμφοραῖς ἠνει-*

---

*) Frustra hoc exemplum eo tentaveris, quod relativi ad praegressum substantivum accommodationem hic odoreris. Non enim licet duas enuntiationes sic contrahere, nisi *quarum sententia in una notione cohaereat*; quod ipsa sana ratio suppeditat. Nam quae arctissime copulares membra, cum eorum notiones disiungendae potius, quam contrahendae essent, ea inepte contraheres. Doceant illud de graecis scriptoribus exempla, quae posuit Matthiae in Gr. §. 473., de nostris haec: I Cor. 6. 19. ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς τοῦ ἐν ὑμῖν ἁγίου πνεύματός ἐστιν οὗ ἔχετε ἀπὸ Θεοῦ, καὶ οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν· arctissime nexa sunt τοῦ ἐν ὑμῖν - - ἀπὸ Θεοῦ. Sunt enim haec sibi opposita: *corpus habetis consecratum dato divinitus spiritui, et non estis vestri arbitrii.* Act. 10, 39. καὶ ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες πάντων ὧν ἐποίησεν ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Ἰουδαίων sumus testes, *omnium in terra iudaica editorum factorum.* Ioh. 4. 5. ἔρχεται εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας λεγομένην Συχὰρ, πλησίον τοῦ χωρίου, οὗ [alii ὃ] ἔδωκεν Ἰακὼβ Ἰωσὴφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ, ubi recte antetulit Griesbachius οὗ. Inter verba enim πλησίον - αὐτοῦ intimam necessitudinem intercedere, ut in *unam adeo notionem coalescant*, inde licet animadvertere, quod iis demum coniunctis perfecta est descriptio loci: *in vicinia donati Iosepho filio a Iacobo agri*; nam vocc. πλησίον τοῦ χω-

χόμην [cf. praestantiss. Hermannus ad Eurip. Bacchas v. 783.], quod neminem mirum habebit, qui diffusum illum per universam linguam graecam di-

---

ρίου per se non indicant, de quo loco sermo sit. Prorsus oppositum attractionis genus, ubi cum sequentibus potius vocabulum in unam sententiam contrahitur, habes Luc. 12, 48. παντὶ δὲ ᾧ ἐδόθη πολύ, πολὺ ζητηθήσεται παρ' αὐτοῦ· *cuicunque est multum concessum* etc. Hic παντί in eo casu, quem verbum ἐδόθη requirit, positum est, quoniam v. πᾶς ὅς [כָּל־אֲשֶׁר] coniunctim illam notionem efficiunt, quam praebet vocc. ὅστις, ut eodem sensu scribere Lucas potuerit: ᾧτινι ἐδόθη πολύ. Ita optimum quemque graecorum scriptorum loqui docuerunt Porsonus et Schaeferus in Addend. ad Eurip. Orest. v. 1625. et Matthiae ad Eurip. Med. v. 12., ubi occurrit ἀνδάνουσα πολιτῶν, ὧν pro eo, quod vulgariter dicendum fuit πολίταις, ὧν. His addere placet Thucyd. III, p. 151. Steph. extr. τῷ δὲ Ἱπποκράτει ὡς αὐτῷ ἠγγέλθη, πέμπει h. e. ὁ δὲ ἱπποκράτης, – – πέμπει, et formulam illam sollemnem οὐδενὶ ὅτῳ οὐκ ἀρέσκει, ubi v. οὐδείς, quasi ad verbum ἀρέσκειν pertineret, casum tertium habet, cum ita disposita verba exspectaveris: οὐδείς ἐστιν, ὅτῳ οὐκ ἀρέσκει. Eadem res obtinet Ioh. 6, 39. — πᾶν ὃ δέδωκέ μοι — 17. 2. — πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ — quodcunque mihi — ei — dedisti. De l. I Cor. 10, 16. iam Winerus Gr. p. 52. bene praecepit, qui tamen Matth. 21, 42. haud cunctanter huc referre debebat λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη κ. τ. λ., quod contracte dictum est pro: λίθος, ὃν — — οὗτος κ. τ. λ. Nam accusativi absoluti tum demum locus idoneus esset, si vel Matthaeus, vel vates hebraicus Ps. 118, 22. antea de hoc lapide locutus nonnullis interpositis ad eum recurreret h. s.: λίθον δέ *sed quod ad lapidem illum attinet*. Neque accusativum absolutum in verbis hebraicis agnosco. Ibi enim voc. אֶבֶן a verbo מָאֲסוּ suspensum est, ut, quod interpres alexandrinus in unam primariam sententiam contraxerit [*lapis, quem – – is* etc.], id parallelismi studio duabus dixerit psaltes h. m.: *Den Stein hatten die Bauenden verworfen; er wurde zum Ecksteine.* Ceterum eandem attractionem in illo Virgilii: *urbem, quam statuo, vestra est:*

cendi morem, cum in construendis verbis universalem eorum notionem, quam ea ipsa tenere malunt, hic quoque secutos esse scriptores reputave-

reperiri pervulgatum est. [Cf. etiam Burmann. ad Petron. c. 62.]. Ex his autem omnibus facile iudicium fieri poterit, quo iure Winerus [Gr. p. 65.] in l. Luc. 12, 48. *dativum absolutum, qui nusquam invenitur*, invexerit. Nam in eiusmodi locis, ubi nonnulli dativum pro genitivo absoluto usurpatum censuerunt, velut Thucyd. 8, 24. εἰργομένοις οὖν αὐτοῖς τῆς θαλάσσης καὶ κατὰ γῆν πορθουμένοις ἐνεχείρησαν τινες πρὸς Ἀθηναίους ἀγαγεῖν τὴν πόλιν, rectius esse dices orationis anacoluthon. Sed ut ad l. II Thess. 1. 4. ἐν πᾶσι τοῖς διωγμοῖς ὑμῶν καὶ ταῖς θλίψεσιν, αἷς ἀνέχεσθε, unde profectus sum, revertar, pronomen facit, ut οἱ διωγμοὶ καὶ αἱ θλίψεις per se possint intelligi, unde longe abest suspicio attractionis, quae hunc gigneret sensum: *in omnibus vestris, quas perfertis, calamitatibus.* Quocirca v. αἷς ἀνέχεσθε annexa praecedentibus sunt, non illigata, ut αἷς ab ἀνέχεσθε pendeat h. s.: *in omnibus vestris malis, quae quidem sustinetis.* Sic Hebr. 8, 2. λειτουργὸς τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς, ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος, καὶ οὐκ ἄνθρωπος consulto dixit scriptor ἣν, cum haec duo diversis sententiis de illo tabernaculo efferre voluerit: tabernaculi minister, *quod et veri nominis est tabernaculum, et quod deus fixit, non homo.* — Ceterum liceat per hanc opportunitatem expromere, quid censeam de l. I Ioh. 3. 12. — ἵνα ἀγαπῶμεν ἀλλήλους· οὐ καθὼς Κάϊν ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν καὶ ἔσφαξε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ubi Winerus [in Gr. p. 52.] omissum esse pronomen relativum putavit: οὐ καθὼς Κάϊν, ὃς ἐ. τ. π. ἦν *ut nos mutuo amemus, non quemadmodum Cainus* [sc. amavit], *qui fuit a daemone malo prognatus fratremque perfodit.* Sic iam Syrus de h. l. existimaverat: ܠܐ ܐܝܟ ܩܐܝܢ ܡܢ ܗܘ ܕܐܬܝܠܕ ܗܘܐ ܡܢ ܒܝܫܐ܀ Sed quemadmodum non video, quomodo relativum sic deesse recte possit, ita illud quoque, quo minus cum Winero faciam, impedit, quod Cainus *ne amavit quidem, quippe qui fratrem necaret.* Quare ducto ex ἀγαπῶμεν communiore verbo *agendi* [ποιεῖν] nihil deesse putamus, cum καθὼς, ut in

rit. Ne notam rem exemplorum quasi nube obscurem potius, quam illustrem, haec pauca affero: Lucian. Hermot. §. 73. — ἀλλ' ἠκολούθει τοῖς τῶν προενδωκότων ἴχνεσι καθάπερ τὰ πρόβατα πρὸς τὸν ἡγούμενον recte defendunt nonnulli interpretes ἀκολουθεῖν πρός τινα eo, quod *eundi* [ἰέναι πρός τινα] notio scriptori hic obversata fuerit. Pariter συντυγχάνειν Genitivo iunctum v. c. Soph. Philoct. 320. συντυχὼν κακῶν ἀνδρῶν Ἀτρειδῶν τῆς δ' Ὀδυσσέως βίας divinum Hermanni acumen hac explicatione illustravit: συντυχῶν τοῖς Ἀτρείδαις, τυχὼν αὐτῶν κακῶν ἀνδρῶν ὄντων. Quocum valde concordat Rom. 11, 7. τοῦτο ἐπέτυχεν, quod recte a Griesbachio porbatum sic explica: ἐπέτυχεν τούτου καὶ ἔλαβε τοῦτο *Israelitae in id inciderunt et adepti sunt illud.* Hanc rem ad nostrum l. puto transferendam esse. Nam cum in *ferendo* notio contineatur *molestiae*, apertum est et recte dici ἀνέχεσθαι θλίψεσιν, συμφοραῖς, quasi *sustinendo premi calamitatibus, adversa fortuna* h. e. perferre mala, et tralate ἀνέχεσθαι τῇ ἀφροσύνῃ τινός i. e. *premi alicuius temeritate* h. e. ferre eius temeritatem, quod est denique vanitatem alicui condo-

formula καθὼς γέγραπται h. e. κατὰ τοῦτο, ὅτι γέγραπται, nihil sit, nisi κατὰ τοῦτο, ὅτι h. e. ad eam normam, quod h. m.: *neque* [agamus] *ad hanc normam, quod Cainus a malo genio originem repetiit et occidit*, quod pro simplicitate sua dixit Ioannes pro: — ad hanc regulam, quod Cainus a malo genio *prognatus occidit*. Simillimus est l. Luciani in Hermot. §. 78. εἰ μήτι ἐς ἄλλον προγυμνάζοις ἑαυτόν, ὡς ἐς ἐκεῖνον ἐλθὼν ἄμεινον διαγάγοις — ὅμοιον ὡς εἴτις ἐς τοσοῦτον σκευάζοι τε καὶ εὐτρεπίζοι, ὡς δειπνήσων ἄμεινον, ἄχρις ἂν λάθῃ ὑπὸ λίμου διαφθαρείς· h. e. *similiter quemadmodum*, sive, ut similiter illi facias, si quis etc. *Cum Kuinoelio autem, qui in suppari genere lapsus Pronominis relativi omissionem commentus est in l. Marc. VII, 19., expostulabo alibi.*

nare. Cuius quidem explicationis veritatem optime perspexeris verbis vernacule ita conversis: *Möchtet ihr euch doch ein wenig von meiner Thorheit drücken lassen**). Et nostro quidem loco quin τῇ ἀφροσύνῃ arctissime sit cum ἀνείχεσθε coniungendum, propterea dubitari nequit, quod non hoc dicere P. potest: ferte me nunc *ratione meae temeritatis;* nam alia quoque sunt, quae tolerari in me oporteat, sed hoc: *ferte aliquamdiu meam in me collaudando*, quae non potest non vos in me offendere [X, 12.], *temeritatem.* Id autem se a Corinthiis impetraturum sperat hoc argumento v. 2.: ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς θεοῦ ζήλῳ, in quibus verbis non magis de sensu Genitivi θεοῦ agendum est, quam quomodo ea cum antecedentibus ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου cohaereant. Sunt vero θεοῦ ζήλῳ alii [ut Semler. Schulz. Iasp.] interpretati *peramorem, qui suscipitur propter deum* h. e. causam divinam [Rom. X, 2.], alii [v. c. Wolf.] per *amorem a numine excitatum*, alii [ut Emmerl.] per *amorem, qualis est dei* h. e. summus, recte statuentibus veteribus hominibus, quicquid sit dei, id summum sit, necesse esse [Gesen. *Lehrgeb.* p. 694.]. Quae tres sententiae ut et per se nihil, quod reprehendi possit, contineant, nec sensu ipso valde disiunctae sint, praesens tamen Apostoli consilium, qui propter suum, quo Corinthios complectatur, θεοῦ ζῆλον, eos se paululum gloriantem sustinere sperat, ut postre-

*) Consentiunt mecum veteres grammatici: Hesychius enim ἀνέχω, inquit, κωλύω. Suidas: ἀνεῖχεν, ἐκώλυε· Χαριέττων μὲν οὖν καὶ πρὸ τούτου φανερός τις ὢν καὶ ἀνυπόστατος τῷ τε πλεονάζοντι τοῦ δραστηρίου φοβῶν ἀνεῖχεν ἀπὸ λῃστείας ἅπαντας *omnes a latrocinio cohibuit*, nisi quod illos secuto a notione *cohibendi* ad *molestiae* cogitationem perveniendum esset, mihi a *ferendo* profecto facilior ad eam videbatur transitus.

mam unice probemus, efficit, sic cohaerente hoc versu cum extremis v. 1. verbis: *Vos meam temerariam laudem aliquamdiu toleraturos esse spem mihi affert magnus meus, quo communicanda vobiscum doctrina div. bene de vobis promeritus sum, amor.* Nam qui hunc sibi animo informarunt nexum [v. c. Iaspis.]: *amore erga vos ductus ad hanc vanitatem descendo, ut meas laudes proferam, quo meritis me et auctoritate gaudere intelligatis:* ii, neque aliorum hominum amorem nunquam eo, ut iis tuas virtutes narres, valere posse, et, qnicunque apud alios suas laudes exponat, ut auctoritatem suam eos edoceat, sui potius, quam aliorum hominum amore hoc facere satis perpenderunt. — Vult autem P. inde suam in Corinthios voluntatem cognosci, quod eos tanquam virginem in Christi matrimonium collocaverit: ἡρμοσάμην — — — τῷ χριστῷ, ubi non tam tralatio, qua se Corinthios veluti virginem Christo marito nuptum dedisse ait, offensioni fuit interpretibus, quam Infinitivus παραστῆσαι. Nam qua similitudine Hebraeorum prophetae, ut intimam sui populi cum Iehovah necessitudinem declararent, toties usi sunt [Ies. 54, 5. 62, 5. Ierem. 3, 1 sqq. Ezech. 16 et 23. cf. Ven. Rosenmuellerus in Schol. P. IV, Vol. II. p. 1013. et Lowthus de sacra Hebraeorum poesi p. 347. sqq. ed. Lips.], cum eum matrimonio iunctum Iudaeis dicerent, eadem hic P. arctam Corinthiorum cum Christo societatem depingit, cuius se accommodate ad praesentem tralationem sic profitetur auctorem fuisse, ut eas se nuptias conciliasse contendat his verbis: ἡρμοσάμην ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ χριστῷ. In qua quidem oratione haec interpretes disiungit discordia, qua alii cum patre filiam in matrimonio locante, alii cum

pronubo nuptias conciliante Paulum se comparasse putant. Sed quemadmodum illam sententiam frustra eo corroborare conati sunt nonnulli, quod P. passim per epistolas se patrem, homines Christianos filios appellare monuerunt [I Cor. 4, 17. II Cor. 12, 14. Tit. I. 4.]: ibi enim non quod potestatem paternam in Christianos exerceret, sed quod, ut pater corpus, sic ipse animum eorum sua institutione finxerit [I Cor. 4, 15.] Iudaeorum more [cf. Buxtorf. Lex. talm: p. 2175.] se dicit patrem: sic ea vel propterea non potest a quoquam recte admitti, quod P. per ipsam doctrinae div. communicationem Corinthiis primum iunctus, non antequam eos ad Christum adduceret, eorum esse pater, cui eos in matrimonium collocare Christo licuerit, potest cogitari. Unde merito praeferimus alteram sententiam subesse verbis paullinis pronubi similitudinem rati. Nam praeterquam quod eum, qui arctam quorundam hominum societatem cum matrimonio antea comparatam conflavit, apte dicas huius matrimonii pronubum, non alienum etiam est, ad posterioris aetatis Iudaeos provocare, qui commemorato illo in V. T. suae gentis cum Iehova matrimonio mirifice oblectati hanc similitudinem amplius sic sunt persecuti, ut Mosen per legis vinculum ipsam cum Iehovah coniungentem *pronubum* appellarent [cf. Rab. Salomo ad Exod. 34. 1.]. Ceterum duobus maxime modis quam sint arcte homines christiani cum Christo nexi Paulus describit. Modo enim necessitudinem, quae in uno corpore singulorum est membrorum, ad suas res transfert, Christum assimilans capiti, eius ecclesiam ceteris membris [Coloss. I, 18. *καὶ αὐτὸς* [*χριστὸς*] *ἐστιν ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας*. Cf. Ephes. I, 22. 4, 12. 15. 16. 25. Col. I, 24.], modo adhibita duorum

corporum coniunctissimorum similitudine Christum cum marito, ecclesiam cum muliere comparat, ut h. l. Restat, ut Infinitivum παραστῆσαι explicem, non intellectum illum ab Emmerlingio, qui se aliquid dixisse putavit, cum eum pro participio παραστήσας positum esse contenderet, perturbatam scil. Apostoli orationem sic in ordinem cogens: ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς χριστῷ παραστήσας παρθένον ἁγνὴν ἑνὶ ἀνδρί, quae ratio, ut illud, Infinitivum παραστῆσαι pro Participio nullo modo poni potuisse, leviter tantummodo tangam, vel ob sensum vix potest probari. Sic enim quod hic primarium est, παρθένον ἁγνήν: *Velut incorruptam virginem vos, qui estis multi, uni viro, Christo, adiunxi:* valde obscuratur, ut quisque sentiet: *Collocavi vos Christo, dum castam virginem ad unum virum adducerem.* Quin optime se habet Infinit. παραστῆσαι. Est enim qui dici solet ἐπεξηγητικός, explicans h. l. illud tralate dictum ἡρμοσάμην ἑνὶ ἀνδρί, τῷ χριστῷ, a quo ipse est suspensus h. modo: Despondi vos tanquam virginem castam uni viro, Christo, *ut nempe vos ad eum adducerem.* Sic Ioannes 5, 26. dixit — ἔδωκε τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν dedit, *ut haberet.* Apocal. XII, 2. γυνὴ — — κράζει ὠδίνουσα καὶ βασανιζομένη τεκεῖν clamavit excruciata, ut eniteretur. Ephes. 3. 17. ἵνα δῴη ὑμῖν, δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, κατοικῆσαι τὸν χριστὸν διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν ut confirmemini, *quo scil. Christus in animis vestris habitet.* Itaque Infinitivus κατοικῆσαι ab altero κραταιωθῆναι, non, ut aliis visum est, in his Winero in Gr. p. 98., a verbo δῴη suspensus est. Unde apparet, τῷ χριστῷ non ad παραστῆσαι, sed ad ἑνὶ ἀνδρί pertinere, ut incluso παραστῆσαι utrimque Com-

mate sic convertere debeas: Despondi vos velut illibatam virginem uni viro, Christo, ut vos ad eum adducerem. — V. 3. P. magnum sibi esse metum significat, ne, ut olim Eva per serpentem seducta fuerit, sic nunc Corinthii bene a se instituti [v. 2. *παρθένον ἁγνήν*] corrumpantur. Recte autem hic quaerimus, primum, cur Evam P. turpiter illam a serpente deceptam commemoraverit, deinde, quomodo sit de formula, *φθείρεσθαι ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν χριστόν* sentiendum. Puto autem illos longinqua consectatos esse, qui memores illius vocis, quam huic loco adscripsit Chrysostomus: *γυναικῶν τὸ ἀπατᾶσθαι*, causam comparationis in eo quaesiverunt, quod ecclesia corinthiaca *tanquam mulier corruptelae valde esset obnoxia* [v. c. Schulzius. Theodoret: — — *αὐτὴν δὲ τὴν βλάβην φθορὰν προσηγόρευσεν, ἐπειδὴ καὶ αὐτοὺς παρθένον ὠνόμασεν*]. Longe enim est aptius, Paulum, qui a falsis doctoribus, ad quorum partes iam inclinaverunt Corinthii, coetui corinthiaco mala imminere existimavit, hanc ecclesiam ideo cum Eva contendisse, quod utrique per alios, illi per falsos doctores, huic per Satanam exitium pararetur. Vix enim quisquam dubitabit, quin P. cum posterioris aetatis Iudaeis fecerit, qui non serpentem, ut est in Genesi, sed Satanam in serpentem conversum Evam ad illud delictum instigasse ad conceptam de Satana sententiam satis constanter putaverunt*). Nam quem

*) Non serpentem, brutum animal, sed Satanam per serpentem Evam ad peccandum sollicitasse, constans est Iudaeorum recentiorum sententia, cuius certa iam habes vestigia in libro Sapient. 2, 23. 24. ὅτι ὁ θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσίᾳ — φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον. et in N. T. I Ioh. 3. 8. ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει; unde ipse est serpentis prisci nomine appella-

omnium malorum auctorem habebant, in eum par erat etiam primi peccati, quod toti generi humano funestum esset, culpam recidere. Sed verba, quibus suum de Corinthiis metum P. expressit: *οὕτω φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν χριστόν*, mirum est, Chrysostomum, Theodoretum aliosque sic explicuisse: *ne corrumpatur animus vester propter simplicitatem, quae esse solet hominum Christianorum.* Schol. Cod. A. apud Matth. *τῆς ἁπλότητος*] *μήπως τῆς ὑμῶν ἁπλότητος ἡ τούτων* [perversorum doctorum] *πανουργία περιγένηται.* Movit hos instituta Evae et ecclesiae corinthiacae comparatio, quam non iustam fore arbitrabantur, nisi adesset in altero membro *οὕτω φθαρῇ κ. τ. λ.*, unde coetum corinthiacum recte cum Eva comparari intelligatur, communis ei cum illa misere a Satana decepta incautior ab insidiis animus. Sed ut ita per Praepositionem *ἀπό*, quam indicare constat causam remotiorem**), interpretari liceat, cum non per ip-

tus Apocal. 20, 2. Ziioni fol. 85. c. 4.: נחש הקדמוני הוא סמאל Nec potest negari, sibi admodum constitisse Iudaeos, cum has partes illi, cuius persona essent dignissimae, deferrent. Valde enim felicitatis honestatisque humanae capitalem inimicum decuit, vel inprimis hominibus suam atrocem vim illustrem reddere. Quomodo posteriorum Rabbinorum ingenium hanc rem exornaverit, id persequi et longum est et infructuosum. Hoc tamen animi causa commemoro, inveniri, qui malum daemonem angue illo, velut camelo, vectum ad irritandam Evam adequitasse tradant v. c. R. Menachem ad Pentat. fol. 24. c. 5. סמאל ירד עם כל חיילותיו ובקש לו בארץ חבר כמוהו ומצא נחש היה לו דמות גמל רכב עליו והלך לו אל אשה:

**) Praepositionum *ἀπό* et *ὑπό* discrimen explanavit summu

sam animi simplicitatem Eva et Corinthiorum coetus corrumpi, sed propter animum suum simplicem Evae a Satana, Corinthiis a malis doctoribus verba dari potuissent, falsam tamen hanc explicationem arguunt adiecta verba τῆς εἰς τὸν χριστόν, unde Paulum de re Christianis omnibus necessaria, qui est animi candor, non de vitio Corinthiis peculiari, quod Pronomine certe innuere debuisset: ἀπὸ τῆς ὑμῶν ἁπλότητος· loqui in promtu est. Quare non piget in ea acquiescere explicatione, quam e veteribus Oecumenius*) et Vulgatus, e recentioribus longe plerique [v. c. Grotius. Seml. Stolz. Emmerl. al.] susceperunt, qua est φθαρῇ ἀπὸ τῆς ἁπλότητος praegnans structura pro φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν καὶ μετενεχθῇ ἀπό κ. τ. λ. ne corrumpatur animus vester et *abalienetur ab illa sinceritate* [Coloss. 3, 22. ἁπλότης καρδίας.], quae ad Christum spectat [τῆς εἰς τὸν χριστόν], eatenus nempe, quatenus ea in Christum uti debent ei addicti homines. Huius constructionis exempla cum plurima reperiantur, haec pauca commemorasse satis sit: I Petr. 3, 20. — εἰς ἣν [κιβωτόν] ὀλίγαι ψυχαὶ διεσώθησαν δι' ὕδατος in quam navim pauci homines *illati* et ita servati sunt per aquam. II Thess. 2, 2. — εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοός ne repente *perturbemini* et sic de mente qua-

---

Hermannus ad Soph. Electr. v. 65.; exemplis illustravit Kusterus ad Xenoph. Oec. c. III. 8. ad v. ἀφ' ἱππικῆς. Ceterum eodem modo, ut ἀπό et ὑπό, differunt Latinorum praeverbia *ab* et *ex*. Cicero de Republ. II, 33. pro: *nam cum esset ex aere alieno commota civitas:* nullo modo scribere poterat *ab*.

*) Oecumenius: οὕτω φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν ἀπὸ] οἷον μετενεχθῇ ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τοῦ χριστοῦ εἰς τὴν δεινότητα τὴν ἔξωθεν.

si deturbemini. Tacit. Annal. XVI, 28. Abrumperet vitam ab ea civitate etc. h. e. moreretur et ita divelleretur ab ea civitate. Lucian. Hermot. §. 79. τὸ ὅμοιον ποιεῖν, ὥσπερ εἴτις ἐς ὅλμον ὕδωρ ἐκχέας [aquam effundens et cado infundens] ὑπέρῳ σιδήρῳ πτίττοι ubi vid. Reitz. Thucyd. 6, 65. βοηθεῖν — — ἐπὶ τὴν πόλιν opem ferre et tendere ad urbem. Tacit. Annal. XIV, 63. *praefectum in spem sociandae classis corruptum* h. e. praefectum corruptum et in spem sociandae classis perductum [Vide Winerum in Gr. p. 77.]. Itaque demta similitudine hoc dicit v. 2 et 3. Ap.: *Bene vos erudivi, sed magnopere vereor, ne mea praecepta migretis.* Qui metus quo nitatur argumento aperit v. 4, qui nisi quid in scriptura aliter constituatnr, explicari omnino non potest. Nam qui eum, ut vulgo legitur, enarrarunt, eorum alii, quasi ἐκήρυσσεν, alii, tanquam ἀνέχεσθε scriptum esset, sunt interpretati. Et Patres quidem graeci, v. c. Chrysostomus*), quibuscum fecerunt prae-

---

*) In his Chrysostomi verbis: Τοῦτό φησιν, ὅτι, εἰ μὲν τι περιττὸν ἔλεγον οὗτοι [ψευδαπόστολοι] καὶ ἕτερον ἐκήρυττον, ὃν οὐ κηρυχθῆναι ἔδει, ἡμεῖς δὲ παρελίπομεν, καλῶς ἠνείχεσθε· ut obiter moneam, particula οὐ, orta, ut videtur, ex praecedenti ὃν, cum quo facile confunditur [cf. Schaeferus Meletem. p. 2. 26. et 59.] et ex similitudine statim subiectorum verborum ὃν οὐκ ἐκηρύξαμεν, deleri debet. Hoc enim cum ipsa flagitat Chrysostomi interpretatio paulo inferius aliis verbis, ut οὐ recte absit, repetita [— ὅτι προσέχειν δεῖ εἴ τι πλέον λέγουσιν, ὃ λεχθῆναι ἔδει καὶ παρ' ἡμῶν παρελείφθη·], tum ostendunt ceterorum Patrum verba, qui ex hoc fonte suos rivulos derivarunt. Quare eam in versione recte praeteriit Montfauconius. Sed si aliam in eius locum sufficere voculam placuerit, equidem reposuerim μέν, quod et ad sequens δέ satis est accommodatum, et scriptum per compendium ab re in οὐ facile potuit.

ter alios Lutherus, Th. Beza, Grotius, Camerarius, Wolfius, Iaspisius hunc verbis subesse sensum arbitrati sunt: *Si falsi doctores* *) *aliquid vobis traderent, quod ego male omisissem, re-*

*) Recte Patres graeci ὁ ἐρχόμενος per *falsos doctores* explicuerunt, cum articulo vim significandi totum aliquod genus tribuerent, quemadmodum, ut primo quoque utar, I Cor. 7, 15. ὁ ἄπιστος non certum quendam hominem, sed quemcunque a disciplina Christiana remotum significat. Nam qui τὸν ἐρχόμενον singularem aliquem, qui Corinthum pervenerit, veteratorem dici cum Grotio existimant, ii neque possunt afferre huius epistolae locum, unde Paulo cum uno aliquo viro rem esse appareat, et universa haec epistolae sectio c. XI sqq., ubi eum in plures falsos magistros invehi e multis indiciis, maxime e l. XI, 13., cognosci potest, iis adversatur. Exposuit de illa vi articuli Winerus in Gr. p. 40. 3., quocum tamen Hebr. 6, 16. ἄνθρωποι κατὰ τοῦ μείζονος ὀμνύουσι neque articulum desideraverim, neque eum omissum eo excusaverim, quod de *hominum parte* dixerit, quae de *omnibus valere hominibus* scriptor voluerit. Male is enim de nonnullis pronuntiasset, quae de omnibus ipse vellet intelligi. Quin duae patent viae, quibus initis sincerum sit ἄνθρωποι sine articulo. Aut enim v. ἄνθρωποι subiectum est totius enuntiati, aut appositio verbi. Illud amplexo cum Duumviris celeberrimis, Schulzio et Winero, sic est germanice convertendum: *Menschen schwören u. s. w.* h. e. *si qui iurant homines*, κατὰ τοῦ μείζονος *iurant*, non tamen, ut *universi homines* in mente fuerint apostolo, sed ut *ea illorum pars, quae iureiurando se obliget.* Sed qui alterum approbatione sua dignum iudicaverit, is cum verbo ὀμνύουσι impersonaliter posito velut appositionem coniugabit ἄνθρωποι, ut v. graeca vernacule sic reddere debeat: *als Mensch* (quasi scriptum legatur ἄνθρωποι ὄντες) *schwört man u. s. w.* Sequenti pronomine αὐτοῖς hanc interpretationem tolli propterea contendere nolim, quod vel impersonaliter capto v. ὀμνύουσι nulli subesse possunt, nisi homines. Pari modo expedivit doct. Stallbaumius ad Plat. Eutyphr. p. 36. illud Platonis: καὶ οἱ θεοὶ πάντες τὰ τοιαῦτα μισοῦσι h. e. *dii eiusmodi res odio habent tanquam omnes,*

si deturbemini. Tacit. Annal. XVI, 28. Abrumperet vitam ab ea civitate etc. h. e. moreretur et ita divelleretur ab ea civitate. Lucian. Hermot. §. 79. τὸ ὅμοιον ποιεῖν, ὥσπερ εἴτις ἐς ὅλμον ὕδωρ ἐγχέας [aquam effundens et cado infundens] ὑπέρῳ σιδήρῳ πτίττοι ubi vid. Reitz. Thucyd. 6, 65. βοηθεῖν — — ἐπὶ τὴν πόλιν opem ferre et *tendere ad* urbem. Tacit. Annal. XIV, 63. *praefectum in spem sociandae classis corruptum* h. e. praefectum corruptum et in spem sociandae classis perductum [Vide Winerum in Gr. p. 77.]. Itaque demta similitudine hoc dicit v. 2 et 3. Ap.: *Bene vos erudivi, sed magnopere vereor, ne mea praecepta migretis.* Qui metus quo nitatur argumento aperit v. 4, qui nisi quid in scriptura aliter constituatnr, explicari omnino non potest. Nam qui eum, ut vulgo legitur, enarrarunt, eorum alii, quasi ἐκήρυσσεν, alii, tanquam ἀνέχεσθε scriptum esset, sunt interpretati. Et Patres quidem graeci, v. c. Chrysostomus*), quibuscum fecerunt prae-

*) In his Chrysostomi verbis: Τοῦτό φησιν, ὅτι, εἰ μέν τι περιττὸν ἔλεγον οὗτοι [ψευδαπόστολοι] καὶ ἕτερον ἐκήρυττον, ὃν οὐ κηρυχθῆναι ἔδει, ἡμεῖς δὲ παρελίπομεν, καλῶς ἠνείχεσθε· ut obiter moneam, particula οὐ, orta, ut videtur, ex praecedenti ὃν, cum quo facile confunditur [cf. Schaeferus Meletem. p. 2. 26. et 59.] et ex similitudine statim subiectorum verborum ὃν οὐκ ἐκηρύξαμεν, deleri debet. Hoc enim cum ipsa flagitat Chrysostomi interpretatio paulo inferius aliis verbis, ut οὐ recte absit, repetita [— ὅτι προσέχειν δεῖ εἴ τι πλέον λέγουσιν, ὃ λεχθῆναι ἔδει καὶ παρ' ἡμῶν παρελείφθη·], tum ostendunt ceterorum Patrum verba, qui ex hoc fonte suos rivulos derivarunt. Quare eam in versione recte praeteriit Montfauconius. Sed si aliam in eius locum sufficere voculam placuerit, equidem reposuerim μέν, quod et ad sequens δέ satis est accommodatum, et scriptum per compendium ab re in οὐ facile potuit.

ter alios Lutherus, Th. Beza, Grotius, Camerarius, Wolfius, Iaspisius hunc verbis subesse sensum arbitrati sunt: *Si falsi doctores* *) *aliquid vobis traderent, quod ego male omisissem, re-*

*) Recte Patres graeci ὁ ἐρχόμενος per *falsos doctores* explicuerunt, cum articulo vim significandi totum aliquod genus tribuerent, quemadmodum, ut primo quoque utar, I Cor. 7, 15. ὁ ἄπιστος non certum quendam hominem, sed quemcunque a disciplina Christiana remotum significat. Nam qui τὸν ἐρχόμενον singularem aliquem, qui Corinthum pervenerit, veteratorem dici cum Grotio existimant, ii neque possunt afferre huius epistolae locum, unde Paulo cum uno aliquo viro rem esse appareat, et universa haec epistolae sectio c. XI sqq., ubi eum in plures falsos magistros invehi e multis indiciis, maxime e l. XI, 13., cognosci potest, iis adversatur. Exposuit de illa vi articuli Winerus in Gr. p. 40. 3., quocum tamen Hebr. 6, 16. ἄνθρωποι κατὰ τοῦ μείζονος ὀμνύουσι neque articulum desideraverim, neque eum omissum eo excusaverim, quod de *hominum parte* dixerit, quae de *omnibus valere hominibus* scriptor voluerit. Male is enim de nonnullis pronuntiasset, quae de omnibus ipse vellet intelligi. Quin duae patent viae, quibus initis sincerum sit ἄνθρωποι sine articulo. Aut enim v. ἄνθρωποι subiectum est totius enuntiati, aut appositio verbi. Illud amplexo cum Duumviris celeberrimis, Schulzio et Winero, sic est germanice convertendum: *Menschen schwören u. s. w.* h. e. *si qui iurant homines*, κατὰ τοῦ μείζονος *iurant*, non tamen, ut *universi homines* in mente fuerint apostolo, sed ut *ea illorum pars, quae iureiurando se obliget*. Sed qui alterum approbatione sua dignum indicaverit, is cum verbo ὀμνύουσι impersonaliter posito velut appositionem coniugabit ἄνθρωποι, ut v. graeca vernacule sic reddere debeat: *als Mensch* (quasi scriptum legatur ἄνθρωποι ὄντες) *schwört man u. s. w.* Sequenti pronomine αὐτοῖς hanc interpretationem tolli propterea contendere nolim, quod vel impersonaliter capto v. ὀμνύουσι nulli subesse possunt, nisi homines. * Pari modo expedivit doct. Stallbaumius ad Plat. Eutyphr. p. 36. illud Platonis: καὶ οἱ θεοὶ πάντες τὰ τοιαῦτα μισοῦσι h. e. *dii eiusmodi res odio habent tanquam omnes,*

cte vos eos admitteretis; quem sensum Oecumenius h. modo describit: *Εἰ γὰρ ἄλλον Ἰησοῦν ὁ ψευδαπόστολος κηρύσσει, ὃν ἔδει κηρυχθῆναι παρ'*

---

quod alioquin soloecum foret; atque similia, [Adde Lucian. Somn. p. 7. φθόνου παντὸς ἀλλότριος ἔσῃ al.] praeeunte praestantiss. Matthiae ad Eurip. Phoeniss. v. 526.* Non magis articulum requiro Rom. 11, 13. ἀπόστολος ἐθνῶν et I Tim. 2, 7. διδάσκαλος ἐθνῶν, neque ad v. ἀπόστολος et διδάσκαλος, neque ad ἐθνῶν, ut se ibi neque *praecipuum gentilium magistrum* [Gal. 2, 7. Eph. 3, 8.], sed *unum ex illis, qui paganos convertant*, neque *omnium gentilium*, sed *eiusmodi hominum, qui e gentilibus sint*, P. appellet doctorem. Quamquam qui Rom. 11, 13. ἀπόστολος τῶν ἐθνῶν exspectaverit, is propter proxime praegressa τοῖς ἔθνεσιν non habeat, quod de male omisso articulo conqueratur, de quo quidem genere paulo inferius dicam. Perperam autem, ut h. statim l., ubi de articulo quaedam diximus, breviter moneamus, Wahlius in Clavi p. 615. nobis fecisse videtur, cum e Matth. 12, 35. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά· καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐκβάλλει πονηρά. *scriptores s. articulo uti, ubi ex linguae graecae indole omittendus sit*, probare conaretur. Nam quemadmodum nihili est, quod alii Codices τά ante ἀγαθά excludunt, alii ad πονηρά insuper adiiciunt [v. Griesb.], ut quae lectionis discrepantia ab iis originem duxerit, qui Matthaei scilicet inconstantia pariter moti vel τὰ ἀγαθά et τὰ πονηρά, vel ἀγαθά et πονηρά scribendum censerent, ita utrumque τὰ ἀγαθά et πονηρά coniunctum optime se habet. Etenim ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά hoc vult: *promit illa, quae in bono thesauro habet, bona:* sed ἐκβάλλει πονηρά: *profert ex malo thesauro res malas;* ut posteriori membro malus homo tantummodo *res malas in universum*, non *suas res malas* e malo thesauro excutere dicatur. Sed si quam in hac satis, opinor, defensa lectione difficultatem movere placuerit, tantum abest, ut cum Wahlio articulum praeter linguae graecae usum ad vocem ἀγαθά additum pugnem, ut eum potius ad voc. πονηρά omissum, quamquam ad Graecorum loquendi consuetudinem satis convenienter, esse existimem. Constat enim, Graecos non solum certis quibusdam vocabulis, ut

ἡμῶν, καὶ οὐκ ἐκηρύξαμεν — — εὐλόγως ἂν αὐτοῖς προσείχετε· εἰ δὲ τοῦτο ἀδύνατον, [οὔτε γὰρ αὐτοὶ οἱ ψευδαπόστολοι θαῤῥήσουσι τοῦτο εἰπεῖν, οὔτε δὲ ὑμεῖς αὐτοί] πῶς οὐ λίαν ἄτοπον ἡμῶν ἐκείνους προκρίνειν τῶν μηδὲν ὑστερησάντων μηδὲ τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων. In qua quidem interpretatione cum hoc molestum est, quod et v. 4., quem necesse est aliquam continere rationem, cur de Corinthiis P. metueret [v. 3. φοβοῦμαι. v. 4. εἰ μὲν γάρ.] sic non recte cohaeret cum praecedentibus *) et nullo verbo

γῆ, ἀνήρ, aliis, admodum constanter articulum detrahere, sed etiam verba saepius repetita eo privare [Rom. 7, 7. — ὁ νόμος — διὰ νόμου — ὁ νόμος.] et ibi eum omittere, ubi proxime praecesserit, ut facili negotio repeti a quovis e praecedentibus possit, maxime ibi, ubi plura simul ad unam eandemque rem copulentur. [cf. praestant. Seidlerus ad Eurip. El. v. 429.]. Sic Plat. Eutyphr. c. 11. τὸ ὅσιον καὶ μή i. e. τὸ ὅσιον καὶ τὸ μὴ ὅσιον [v. ibi Stallb.] Thucyd. 6, 60. τὸ ἀγριώτερον καὶ πλείους ξυλλαμβάνειν h. e. τὸ ἀγρ. καὶ τὸ ξυλλαμβ. πλείους. Ad Rom. XII, 2. τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον h. e. τὸ ἀγ. καὶ τὸ εὐάρ. καὶ τὸ τέλ. Sed quam rem non nisi violenter ad Matth. 12, 35. traducas, eius videtur recte usus fieri in loco difficili Rom. 4, 17. — καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα h. e. ὡς τὰ ὄντα, ut sensus nascatur hic: *qui* [deus] *ad felicitatem messianam vocat nondum natos pariter atque eos, qui iam nati sunt.* Hic sensus egregie quadrat ad P. consilium, qui dei omnipotentiam eo, quod mortuos in vitam restituere possit, modo fortiter declaraverat. Valde enim maiestati divinae appositum est, vel de nondum natis hominibus decernere, quod non nisi in iam natis fieri posse imbecillo homini videatur.

*) Melius praecedenti orationi apto sensu prospexissent, quamvis non mollius in leges grammaticas consulturi, hac v. 4. interpretatione: si perversi magistri alium, quam cuius ego nuntius fuissem [igitur falsum], afferrent Iesum, benigne vos eos ferretis. Ita bene cohaereret v. 3. et 4. h. m.: Diffido vestrae integritati; nam pernovi vestram indolem: adulterinos apostolos, si ad vos venissent, laute exciperetis,

ille, quem dixit Oecumenius Ἰησοῦν, ὃν ἔδει κηρυχθῆναι παρ' ἡμῶν καὶ οὐκ ἐκηρύξαμεν, indicatus est, tum illud prorsus intolerabile, quod εἰ cum tempore praesenti κηρύσσει in sententia, cuius esset re vera contrarium, usurpatum esse censuerunt, in qua causa, ut est tralatitium, fuit ponendum praeteritum εἰ ἐκήρυσσεν cum particula ἄν in apodosi, quamquam hanc quidem omissam minus aegre ferremus [Cf. Matthiae Gr. §. 508. Winer Gr. p. 92.]. Possumus autem tanto minus nostrum scriptorem hac dicendi lege hic solvere, quanto religiosius eam alte quasi fixam in ipsa mente humana observant N. T. scriptores.*). Nam

*) Quam bene conspiret usus particulae εἰ in N. T. cum ea lege, quam graeci sibi tulerunt scriptores, praeclare praeter Wahlium in Cl. 220 sqq. demonstravit Winerus in Gr. p. 92., a quo nonnisi in eo paululum recedimus, quod Ioa. 15, 20. εἰ cum praeterito in protasi, ut futurum sequatur in apodosi, eiusdem esse potestatis putavit, qua, ubi praeteritum in apodosi conspiciatur, praeditum esse constat. Id autem haud dubie Winerum, ut ipsa constructione [εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, καὶ τὸν ὑμέτερον τηρήσουσιν] sententiam negativam: *at non executi sunt meam doctrinam*: expressam vellet, permovit, quod et Christi historia eum ut plurimum ab hominibus repudiatum esse docet, et quod ipse versus sequens [ἀλλὰ ταῦτα πάντα ποιήσουσιν διὰ τὸ ὄνομά μου, ὅτι οὐκ οἴδασι τὸν πέμψαντά με.] Iesum male reiectum esse clarissime arguit. Nihilominus tamen non una de causa sic a Winero dissidemus, ut εἰ cum praeterito in protasi et futuro in apodosi ex more positum arbitremur, et quod futurum, ubi praeterito opus fuit, ad efferendam rem contrariam collocari prorsus soloecum est, et quod illuc ducunt verba arctissime cum sequentibus εἰ τὸν λόγον — — τηρήσουσιν, ut eodem modo enarrari debeant, nexa haec: εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν, καὶ ὑμᾶς διώξουσιν, quae si ad proximum membrum εἰ τὸν λόγον — — τηρήσουσιν constanter e Wineri obser-

qui, ut Paulum hic locutum volunt, diceret: εἰ κηρύσσει — καλῶς ἀνείχεσθε, is, quae vehementer sibi repugnarent, proferret. Cum enim verbis εἰ

vatione explicare placuerit, quae maxime cum Christi historia et inter se pugnarent, diceret Iesus haec: *me non persecuti sunt Iudaei* et *doctrinae meae non obtemperarunt.* Quin generalem, quam modo proposuerat, sententiam: non esse ministri, quam heri splendidiorem sortem [οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ] ad suam cum discipulis necessitudinem sic transfert, non ut ipsa constructione, quid in se factum fuerit, declaret, sed ut, *quodcunque id tandem fuerit, idem in discipulis quoque eventurum* propter vicinam ministrorum et heri sortem, id solum contendat h. s.: utrum me persecuti sint Iudaei, an benigne exceperint, id nunc non quaero; *hoc unum contendo, utrumcunque tandem mihi acciderit, idem vos quoque ob coniunctam ministrorum et heri fortunam experturos.* Sed quoniam de particula εἰ disserens opportune recordor loci Matth. 23, 30., illos levius notare lubet interpretes, qui multi ibi et Act. 4, 13. imperfecto verbi εἶναι plusquamperfecti potestatem subesse praeter necessitatem voluerunt. Nam v. Matthaei: εἰ ἤμεθα ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν πατέρων ἡμῶν, οὐκ ἂν ἤμεθα κοινωνοὶ αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τῶν προφητῶν unanimi voluntate sic reddiderunt: *si vixissimus — — non fuissemus* etc., non reputantes illi, imperfectum magis etiam huic l. consentaneum esse. Nam ne contrariam, quam e plusquamperfecto extricare liceret, hanc: *at non viximus maiorum memoria, quare trucidamus prophetas:* premam sententiam, hoc tamen apparet, si vel pro coniectura in eo posita, ut, quidnam in alius loco constitutus facturus fueris, dicas, haec verba habueris, ut istius modi oppositam sententiam prorsus respuas h. m.: *ponimus, in patrum aetatem nostram vitam incidisse; tum prophetas non occidissimus, quippe qui honorem nunc exhibeamus eorum sepulchris:* magis hic convenire, Pharisaeos, pessimos pietatis simulatores, ut maiorum aetate vivere ipsis liceat, exoptare, quod animi votum imperfecto exprimitur h. r.: *si in* [impia] *maiorum aetate viveremus, quam nos aliter, ac patres, in prophetas consuleremus, nos, qui*

κηρύσσει significasset, se *in ambiguo relinquere*, an eiusmodi doctores aliquando Corinthum perveniant, vocc. καλῶς ἀνείχεσθε hoc indicarent, *nunquam tales Corinthi grassaturos esse*, sed si quando ibi grassarentur, recte eos a Corinthiis admissum iri. At erit fortasse, qui κηρύσσει et λαμβάνετε pro Praesenti historico habens, per hoc, quod formam tantum Praesentis referat, Praeteriti potestate instructum sit, stare illam interpretationem posse existimet. Sed hoc quidem argumento, nisi qui erit paulo cupidior, nemo movebitur propterea, quod Praesens historicum, ubi, quid factum sit, simpliciter narratur, neque vero, ubi, quid evenerit, propter aliam rem tantum commemoratur [cf. Buttmannus ad Sophocl. Philoct. v. 371.], poni recte potest. Utar uno ad illustrandam hanc rem exemplo: Ioh. IX, 13. 14. *Ἄγουσιν αὐτὸν πρὸς τοὺς φαρισαίους, τὸν ποτὲ τυφλόν.*

---

vel mortuorum nunc pie revereamur sepulchra! Ceterum eadem chorda aberrantes interpretes Sophocl. El. v. 315. ἐπεὶ τἂν οὐ μακρὰν ἔζων ἐγώ, cum sic verterent: *alioqui non tam diu vixissem:* in viam reduxit summus Hermannus. Sed brevior illius imperfecti defensio est Act. 4., 13. ἐπεγίνωσκόν τε αὐτοὺς, ὅτι σὺν τῷ Ἰησοῦ ἦσαν, ubi male plerique explicant: *agnoverunt eos, quod scil. Iesu familiariter usi fuerint.* Etenim Lucas, ut saepius [cf. Winer. Gr. p. 139.], quam inchoaverat, orationem indirectam subito destituit eo, quod narrandi impetu abreptus ipsa hominum loquentium verba illi innectit h. r.: *agnoverunt eos, cum Iesu erant* i. e. agnoverunt eos et dixerunt: illi cum Iesu versati sunt. Simillimus nostri est l. Act. I, 4. — παρήγγειλεν αὐτοῖς — περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς, ἣν ἠκούσατέ μου· iussit eos exspectare promissum patris, de quo [inquit] ex me audivistis. Exempla, ubi vel in primaria sententia post ὅτι plane idem usu venit, e multis pauca attulit Hermannus, Vir Magnif., ad Viger. p. 901.

Ἦν δὲ σάββατον, ὅτε τὸν πηλὸν ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἀνέῳξεν αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμούς. Recte hic habet Praesens *ἄγουσιν*, ubi sanatum hominem ad Pharisaeos perductum esse narretur, recte etiam *ἐποίησεν*, ut *ποιεῖ* ne potuerit quidem dici. Nam cum non hoc consilii sit Ioanni, quid in homine caeco Iesus perpetraverit, ut quod v. 6. iam tradiderat, memoriae prodere: quod si per Praesens historicum narrare voluisset, sic colligare orationem debuisset: *Ἔστι δὲ σάββατον καὶ — ποιεῖ — καὶ ἀνοίγει·* sed tempus, quo id acciderit, designare, eum verbis, *ἦν δὲ σάββατον*, quae temporis notationem, hic praecipuam continent, rem a Iesu gestam, quam non praeterire potuit, quoniam alioquin, quid sabbato evenisset, non constitisset, arctius connectit per particulam *ὅτε* et Praeteritum *ἐποίησεν*. Pariter nostro loco *κηρύσσει* non potest pro Praesenti historico venditari. Non enim falsos doctores Corinthum adiisse narrat, sed, *si eo venirent*, meliora, quam P. afferentes, recte eos a Corinthiis exceptum iri, ut illi quidem explicant, contendit scriptor. Nec potest causa, cur in secundaria orationis parte illud Praesens adhiberi nefas sit, quemquam latere. Nam cum ibi diligenti temporis notatione opus sit, Praesens nimis vagam et incertam eam relinqueret.

Eadem, quam in Chrysostomi interpretatione deprehendimus, labe, si rem summam spectaveris, cum Heumanni, tum Semleri sententia laborat, quorum ille v. *καλῶς ἀνείχεσθε* per interrogationem, quae esset Apostoli Corinthios vanam vanorum hominum doctrinam benigne audientes acerbius vituperantis, explicanda censuit h. modo: Si quis alium [falsum] Christum *affert*, quam equidem vobis annuntiavi, num recte eum *admisistis*? Semlerus autem post Polum et Schlich-

tingium v. *καλῶς ἀνείχεσθε* Paulo, quod Corinthii aures praeberent doctoribus errores pro vera doctrina disseminantibus per indignationem exclamanti vindicavit h. sensu: Si quis enim ad vos *venit* longe alia docens, quam ego aliquando tradideram, talem tam bene apud vos adhuc *tolerastis!* Quae interpretatio ut alteram Heumanni apto suo ad v. 5. sensu haud dubie vincit, cum propter id, quod factum per exclamationem v. 4. dolet, patientius Corinthios falsorum magistrorum perversitatem sustinuisse, eorum integritati timere P. recte posset, ita hoc habet cum illo commune vitium, quod cum Praesenti *κηρύσσει* neutra conciliari potest. Aeque enim inepta est istiusmodi interrogatio: Si quis *accedit* — — num recte eum *patiebamini?* atque haec exclamatio: Si quis vos *adit* — — egregie eum *tolerastis!* Etenim nemo non videt, Praesens cum Praeterito non sine repugnantia ita componi posse.

Superest, ut alterum interpretum genus, quod quasi *ἀνέχεσθε* non *ἀνείχεσθε* legeretur, hic versatum est, breviter percenseam. Pertinent huc praeter alios Schulzius et Stolzius, non Emmerlingius, qui hanc difficultatem, quae inest in coniunctione membri prioris *εἰ κηρύσσει* cum posteriori *καλῶς ἀνείχεσθε*, ne verbo quidem tetigit. Illorum autem haec est interpretatio: *Si quis alium ad vos perfert Iesum, quam quem ego vobiscum communicavi, praeclare*) vos eum admittitis.* Stol-

*) Sic *καλῶς* amaritudinem habet: *pravos doctores praeclare excipitis, cum contra facere debeatis,* Similiter Marc. 7, 9. Καλῶς ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, ubi ea mihi semper maxime probata est explicatio, quam pater meus dilectissimus [*Analekten von Keil und Tzschirner* 1 *St.* p. 100 sq.] ingressus est; *scite* [v. 10 sq.] *tollitis legem divinam:* sed ut

zius: *Wenn Euch jemand einen andern Iesus verkündigt, als den, welchen ich euch verkündigt habe, — — so lasst ihr es euch ruhig gefallen.* Sensus, quem haec gignit explicatio, egregie conspirat cum versu tertio. Nam si P. Corinthios benevole audire falsos doctores compertum habuit, haud iniuria, ne per eos corrumperentur, veritus est. Sed ne haec enarratio verbis accommodata sit, facit, quod non *ἀνέχεσθε*, sed *ἀνείχεσθε* scriptum habemus, quod, ut supra docui, cum Praesenti *κηρύσσει* componi nullo pacto potest.

Quod ulcus ut persanetur, nemini erit obscurum, vel pro *κηρύσσει* scribendum esse *ἐκήρυσσεν*, ut cum graecis interpretibus deinde sentias, vel pro *ἀνείχεσθε* reponendum *ἀνέχεσθε*, ut cum Stolzio facias. Quod posterius ut ego malim, praeter aptissimum, ut supra demonstravi, ad praecedentia sensum illud quoque in causa est, quod olim *ἐκήρυσσεν* lectum fuisse, nullum usquam est in Codicibus vestigium, *ἀνέχεσθε* contra in

---

acerbitas remaneat in eo sita, quod Pharisaeorum praecepta divina ad sua commenta detorquentium, quae non est nisi in honesta re, *artem* in mala re esse pronuntiavit Iesus. Quibus similiter dicta contendere volupe est, haud equidem frustrabo. Legant illi Sophocl. Philoct. v. 444 sqq. ἔμελλ'· ἐπεὶ οὐδέ πω κακόν γ' ἀπώλετο. ἀλλ' εὖ περιστέλλουσιν αὐτὰ δαίμονες etc. *bene* [scilicet] dii instituunt, ut malos ex Orco revocent, bonos nihili faciant. v. 1001. ἀλλ' ἡ κακὴ σὴ — ψυχὴ — εὖ προὐδίδαξεν ἐν κακοῖς εἶναι σοφόν h. e. egregie tua mala mens illum docuit, ut in malis sapiens esset. Ad hoc idem genus, quo vitia laudando graviter perstringimus, pertinet etiam vox plautina [Mercat. IV, 3. 37.] *numero purgitas*, ut praeclare ostendit Rostius meus in Programmate Scholastico *de plautina voce numero* Lips. 1819. p. 11.

uno certe Codice conservatum [cf. Griesb.] ad nos pervenit. Reperiri autem in hoc versu mendum, et esse id reposito v. ἀνέχεσθε recte a nobis sublatum, quoniam metuimus, ne illis, qui falsis imbuti opinionibus ut sibi literas sacras enarrantibus nihil non licere, ita sacros scriptores omnia sibi indulsisse arbitrantur, eo nondum satis persuaserimus, quod εἰ κηρύσσει — καλῶς ἀνείχεσθε ipsis cogitandi legibus repugnet, placet ad confirmandam nostram sententiam, quomodo tam perversa lectio oriri potuerit, amplius persequi. Est autem ἀνείχεσθε sive ἠνείχεσθε vel a librariis satis mature e v. I. huc traductum, vel e duabus huius versus explicationibus, quae in ecclesia christiana iactarentur, ut saepe alias factum scimus, enatum. Nam cum alii εἰ κηρύσσει — καλῶς ἀνέχεσθε, ut nos ipsi fecimus, alii, velut ἐκήρυσσεν et ἀνείχεσθε in libris haberent, quemadmodum postea Patres graeci, explicuissent, accesserunt Grammatici, qui ἐκήρυσσεν, ἐλάβετε, ἀνείχεσθε, vel formam atticam ἠνείχεσθε, quo conceptam animo interpretationem fulcirent, restituenda existimarent. Sed cum alii hanc audacius refictam orationem improbassent, tempus sensim sensimque abstulit ἐκήρυσσεν et ἐλάβετε, conservavit tamen, ut fit, aeque illud abolendum ἀνείχεσθε. Hanc vero sententiam, quamvis non ita certam, nihil ut contra dici possit, pronuntiem, tantum certe probabilitatis, quantum in eiusmodi rebus assequi nobis liceat, habere doctum quemque virum mihi spero concedere. —

Sed priusquam hanc disputationem brevi ad V. 5. adnotatione concludamus, non alienum videtur, levius castigare b. Koppium, quod ad Rom. 9, 3. imperfectum et nostro l. et alias optativi potestate praeditum esse arbitratus est, ut praetermissum ἂν suppleri debeat. Nam praeter-

quam quod tam diversa est cum ἂν compositi imperfecti et optativi conditio: quippe ἔπρασσον ἂν τοῦτο *facerem hoc*, *si obtineret*, *nescio quid*, *aliud*, πράξαιμι ἂν τοῦτο *faciam* h. e. inclino, ut faciam, significant: ut alterum cum altero unquam permutatum esse ne divinare quidem liceat, loca etiam ipsa rem minime comprobant. Et Ioa. quidem 8, 39. εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε, ex quo eodem genere ambo sunt e graecis scriptoribus a Koppio laudata l., imperfecto suam salvam manere vim apertissimum est h. m.: si essetis Abrahami nepotes, digna Abrahamo facinora ederetis; *at non estis eiusfilii* etc. Quare haec una residet dubitatio, utrum sit particula ἂν e nonnullis Codc. [cf. Griesb.] recipienda, an cum Griesbachio expellenda, quae res tum facillime dirimi poterit, quando summus Hermannus, quem propediem de vocula ἂν singulari libro expliciturum fama est, utriusque structurae a nemine hucusque expositum discrimen [id enim non obtinere non potest.] dilucidaverit. In praesentia illud, quod iam supra commemoravi, tenere satis erit, inveniri ubique exempla, ubi praegressa sententia per εἰ cum imperfecto, imperfectum in apodosi particula ἂν careat. Sed Rom. 9, 3. Koppius mirum quantum a se ipse defecit. Nam qui ηὐχόμην cogitatione adsumto ἂν idem esse contenderat, quod Act. 26, 29. εὐξαίμην ἂν, ipse tamen assensu suo dignam iudicat veram certe imperfecti a Photio initam explicationem hanc: — οὐδὲ γὰρ εἶπεν εὔχομαι χωρισθῆναι, ἀλλ' ηὐχόμην ἂν τοῦτ' ἔστι, εἰ δυνατὸν ἦν, εἰ συνέβαινε θείῳ πόθῳ πόθον εἰς θεὸν ἐκνικηθῆναι. Nullam enim relictam video dubitationem, quin ηὐχόμην pravis complurium interpretationibus obscuratum h. modo cum vv. οὐχ οἷον δὲ, ὅτι κ. τ. λ. v. 6. cohaereat: vel-

lem quidem ego ipse pro *o m n i b u s* *fratribus* [ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου] *devoveri, si servare sic omnes possem; at hoc non fieri potest, quoniam promissa divina, quae nonnisi ad veros Abrahami posteros* [v. 6 sqq.] *spectant, eventu non possunt excidere.* Proxime ab hac explicatione abfuit Theodoretus, qui ad v. 6. haec habet: Ἐγὼ μὲν, φησὶν, ηὐχόμην ἀλλότριος εἶναι τοῦ χριστοῦ, εἴπερ οἷόν τε ἦν διὰ τῆς ἐμῆς ἀλλοτριώσεως Ἰουδαίους τῶν ἐπηγγελμένων τυχεῖν ἀγαθῶν· sed bonam interpretationem eo statim sustulit, quod vocabulis οὐχ οἷον δέ κ. τ. λ. velut ad rem novam transgressum nonnullorum Iudaeorum inobedientiam promissiones divinas non suspectas reddere, ut quae veri tantum nominis Iudaeos innuant, docere Paulum existimavit: ἀ λ λ' ὅ μ ω ς, καὶ τούτων [Ἰουδαίων] ἀντιλεγόντων καὶ σωτηρίαν οὐ βουλομένων καρπώσασθαι ἔχοιντο τἀληθὲς αἱ πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίαι· οὐ γὰρ τῆς φύσεως ὁ θεὸς, ἀλλὰ τῆς ἀρετῆς ἐπιζητεῖ συγγένειαν. Sed ne hic quidem ἂν, quod Photius, cum explicando orationem ad vulgarem dicendi morem redigere studeret, verbo ηὐχόμην adiecit, omissum moleste feras, cum hic l. a praecedente non distet, nisi quod illic integrum habes sermonem, hic nonnisi imperfecto monstratam sententiam sic explere debes: *Me devoverem pro fratribus, si haec iis res ad salutem profutura esset etc. Sed contra est.* Eiusdem est generis Act. 25, 22. ἐβουλόμην καὶ αὐτὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀκοῦσαι, ubi, si quis, quod Festi responsum: αὔριον ἀκούσῃ αὐτοῦ Agrippam illis se Pauli audiendi cupidum declarasse ostendat, ἐβουλόμην pro βουλοίμην ἂν dictum putaverit, prorsus ille fallatur. Etenim imperfecto non minus desiderii significatio inest, sive ἐβουλόμην interpreteris *vellem* h. e. *et volui iam antea et nunc volo*

[cf. Matthiae *Ausf. gr. Gr.* p. 714.], sive [nam utrumque fieri licet.] aliquam sententiam per urbanitatem suppressam arbitreris h. r.: *Vellem et ipse Paulum audire, si id tibi volupe futurum scirem.* Respondet Agrippa: *cras erit tibi illum audiendi copia.* Denique II Cor. 11, 4. non quidem ego is sum, qui *εἰ κηρύσσει* — *ἀνέχοισθ᾽ ἂν* scribi potuisse negem h. sententia: *Tanquam certum pono, falsos doctores adulterinam Corinthi tradere doctrinam; tum fortasse* [nam id incertum est.] *bene scil. eos exceperitis* [Cf. Heindorf. ad Plat. Protag. p. 557 et 573. Schaefer. ad Dionys. Hal. p. 231.]. Verum tamen hanc optativi potestatem non prius tribuam imperfecto, quam si quis [quod auguramur Calendis graecis eventurum.] Temporum atque Modorum Enallagen iam dudum illam explosam rursus stabiliverit.

Reliquum est, ut nonnulla disseram de v. 5., cuius de nexu eum antecedentibus et quinam sint *οἱ ὑπερλίαν ἀπόστολοι* dubitatum est ab interpretibus. Cohaeret autem is haud dubie per hanc intermediam sententiam cum praecedentibus: *Id perperam facitis,* quod scil. aures falsis doctoribus benigne datis [v. 4.]. Etenim non sum deterior illis, qui sibi permagni videntur Apostoli. Plerique interpretes putant Paulum innuisse Iacobum, Petrum et Ioannem, quorum tum aetatis summa fuit inter Christianos auctoritas [Gal. 2. 9.]. Perperam. Nam praeterquam quod P. non sine iactationis suspicione illis se aequiparare potuisset, ne hoc quidem intelligitur, quid horum sibi velit mentio ibi, ubi inclinatum Corinthiorum ad varios doctores animum reprehendens, his se, non Iacobo, Petro et Ioanni *non parem* esse dicere debebat. Quare nullus dubito, quin P. hic, ubi semper pervellit varias ob causas, ut propter falsam, quam

spargant doctrinam v. 4., propter verborum lenocinia, quibus aliis imponant v. 6., propter magnam habendi cupiditatem v. 20. et sic porro, vanos doctores, ut diserte eos adeo nominet v. 13, hos eosdem acerbius dixerit τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους *dignitate atque meritis grandes videlicet Apostolos*.

CAPUT VI.

Infinitivus absolute positus quamnam habeat rationem et usum in N. T., disceptatur ad l. II Cor. IX, 10. — Explicatur l. II Cor. VI, 11 — 13.

Graecos inde ab Homero scriptores pervagatum est ibi haud raro Infinitivo uti, ubi aut declarata rei necessitas Imperativum, aut indicatum consilium Coniunctivum, aut expressum animi votum Optativum haud dubie requisivit. Cuius rei causas indagantem non poterit latere, esse illam vel ab aliqua scriptoris simplicitate, vel a commotiori eius animo repetendam. Nam simplex quidem antiquitas, posita ipsa per Infinitivum cuiusque verbi notione, quo sit ea quoque in loco referenda e ceterarum notionum comprehensione satis intelligi

putavit *), et qui per aliquam animi perturbationem vehementius sunt commoti, ii ipsas cogitationes ad rem praesentem attulisse contenti harum nexum ex sua concitata mente, quam e legitime conclusa oratione metiri malunt. Esse autem illius dicendi generis causas recte a nobis vel in scriptorum simplicitate, vel in commoto eorum animo positas, praeter rationem modo allatam aliis etiam magis firmari potest argumentis. Nam quod e simplicitatis fonte id genus promanavit, inde factum est, ut Homeri naturalis minimeque ornatus cincinnis fucata oratio hunc usum valde frequentaret. Neque tamen apud Homerum et Hesiodum ceterosque Iones solos occurrit, quae est opinio Gregorii [locum indicatum videbis a Fischero ad Weller. III, b. 26.] exemplorum frequentia delusi: *αἱ παραλείψεις τῶν παρεμφάτων ἀντὶ προςτακτικῶν Ἰώνων εἰσί*, imo, ut nemo ignorat,

---

*) Ex hoc eodem simplicitatis fonte illud quoque derivandum est, quod etiam Hebraei haud raro Infinitivum absolutum ita ponunt, ut vel Praeteritum, vel Futurum, vel Imperativum ei non adiiciant [cf. Gesenius *Lehrgeb.* p. 782 sqq.]. Hi enim cum, vel e verbo praegresso vel subsequente, vel tota denique loci colligatione universa verbi, cuius adesset Infinitivus, satis apparere videretur conditio, Infinitivo absoluto non addiderunt verbum finitum. Sic Ieremias 14. 5. כִּי גַם־אַיֶּלֶת בַּשָּׂדֶה יָלְדָה וְעָזוֹב scripsit pro וְעָזוֹב עָזְבָה, quoniam e praecedenti יָלְדָה qua ratione עָזוֹב cum אַיֶּלֶת connexum sit, intelligi putavit; et Ezechiel I, 14. הַחַיּוֹת רָצוֹא וָשׁוֹב, quibus verbis nullum tam prope verbum finitum admotum conspicis. Nimirum ex tota, quae hic continuatur, quatuor animalium descriptione esse illorum verborum praeteritum mente addendum, in propatulo est.

apud omnes scriptores. [Exempla pauca e multis collegit praeter editores Vigeri p. 206 et 745. Fischerus l. l.]. Nec mirum: si quidem et animo commoveri non uni alterive homini proprium, sed omnium mortalium commune est, in qua causa, quam late pateat usus Infinitivi, illo indignantis Iunonis apud Virgilium: *mene incepto desistere victam:* aliisque multis docuit Valckenarius ad Eurip. Phoeniss. v. 1716. [cf. etiam Reisig. ad Oed. Col. V. 48. ad v. *πρίν γ' ἂν ἐνδείξω τί δρᾶν* comment. crit. p. 182. et Seidler. ad Eurip. Troad. v. 750. *οὐ μάχης ἐρᾷν, οὐδ' αἰσχρὸν οὐδὲν, οὐδ' ἐπίφθονον σε δρᾶν,* qui idem *σὲ χρή* editionibus ab explicatore profectum irrepsisse praeclare pervidit.], et temere imitari Homero frequentatas locutiones malum est non uni scriptori adhaerens, sed quod ad plures sane serpserit. Ex quibus quidem omnibus illos parum accurate locutos intelligi volo, si qui Infinitivum sic vel Imperativi, vel Optativi, vel Coniunctivi potestate instructum esse contenderunt. Nam utrumcunque tandem eorum sit, quae supra commemoravi, caussa huius dicendi generis in eius, qui scribat, vel simplicitate et negligentia, vel vehementia inest, non in potestate Modi. Alioquin enim recte pro Imperativo etc. Infinitivum promiscue ponas. Quare illam locutionem ellipticam esse apparet. Nam ut primariae notiones omnes expressae sint, illud tamen praetermissum est, quo eas modo vel ad loquentem, vel ad eos, qui compellentur, referri oporteat; unde qui usitatam expetiverit orationem, is mancam cum veteribus Grammaticis [cf. Fischer. ad Weller. l. l.] adiectis cogitatione huiuscemodi vocabulis, ut *θέλε, μέμνησο, δεῖ, δός,* aliis pro cuiusque loci natura licet resolvat.

Haec quidem praemittenda videbantur, ut, quo iure Infinitivo Imperativi vim in l. II Cor. IX, 10. aliisque tribuerint interpretes, eo melius constitui nunc possit. Habet autem II Cor. 9, 10. tanto plus dubitationis, quanto magis Codices hanc triplicem, afferentes lectionem χορηγῆσαι – πληθῦναι – αὐξῆσαι – χορηγήσαι, πληθύναι αὐξήσαι – χορηγήσει, πληθυνεῖ, αὐξήσει [cf. Griesb. et Matth.] fluctuantur. Sed qui Infinitivos nuper tuiti sunt, ii plures inierunt vias. Et Emmerlingio quidem Infinitivi χορηγῆσαι πληθῦναι, αὐξῆσαι nihil inusitati habere videntur, si e voce δυνατός v. 8. nexi indicentur. Nam versu decimo nonnisi octavi sententiam latius dici putavit, ut interposito nono ad confirmanda vocabula ἵνα περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν verba χορηγῆσαι τὸν σπόρον ὑμῶν explanent priora ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, cetera vero πληθῦναι τὸν σπόρον ὑμῶν καὶ αὐξῆσαι τὰ γεννήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν illustrent illa ἵνα περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν h. m.: *potest deus omnis generis vos ornare beneficiis, ut omnibus semper satis instructi, abunde possitis largi esse — — ille, inquam, deus, qui sementem communicat cum serente, potest etiam vobis sementem dare etc.* Quae interpretatio, vix dici potest, quantum iustae pateat reprehensioni. Quemadmodum enim eo peccavit E., quod vv. v. 8. ἵνα ἐν παντὶ – – ἀγαθόν in unam sententiam colligata esse non considerans, alia Participio ἐν παντὶ – ἔχοντες, alia verbo ἵνα περισσεύητε ε. π. ἔ. ἀ. respondere v. 10. opinatus est, ita illum etiam in eo falsum insimulaverim, quod et versum decimum dilucidare octavum putavit, et decimi vocabula ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν κ. τ. λ. hanc utriusque versus coniunctionem nulla ratione permittere non animadvertit. Dixerim

enim, si alterum per alterum illustratum vellem, decimum potius octavo, ut cuius proprius sermo a semente ductae tralationi explanandae satis congruat, quam octavum decimo magis perspicuum reddi, quippe cuius similitudo verborum proprietate sit obscurior. Cui quidem gravi vituperationi hoc adiicio, vocem δυνατός, ut *primariam*, repeti debuisse h. r.: *potest deus* — *potest*, inquam, deus [δυνατὸς δὲ ὁ θεός], ut minime locus fuerit ab initio versus huic numinis circumlocutioni: ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, quae non nisi praegressam alteram in Parallelismo commode excepisset huiuscemodi: *qui habet hominum providam curam, vos bonis largiter instruet* — — et *qui semen dat serenti, multa vos quoque semente non destituet.* — Proinde non mirum est, alios hanc v. 8 et 10. cohaerentiam aspernatos aliis rationibus Infinitivorum incolumitatem tutatos esse. Quippe Winerus [in Gr. p. 101.] Imperativorum iis subesse voluit potestatem; quod equidem propterea reiecerim, quoniam et ipsi Imperativi ab h. l., ubi Apostolum maiestatis divinae sensu perfusum ardentibus precibus numen implorare nihil indicio sit, alieni videntur, et quod de deo persona tertia [ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν κ. τ. λ. ille, qui commodat serenti semen] usus est. Nam ne quis ad hanc opinionem delabatur, ut nominativo ὁ ἐπιχορηγῶν vocativi vim subesse ratus*) sic interpretetur:

---

*) Sed huius tamen Vocativi, cuius exemplorum abunde Marklandi ad Eurip. Iphig. Aulid. v. 446. et Wineri in Gr. p. 56. 2. dedit liberalitas, memores vellem fuissent interpretes Apocal. 9, 14. — ἤκουσα φωνὴν λέγουσαν τῷ ἀγγέλῳ ὁ ἔχων τὴν σάλπιγγα· Λῦσον τοὺς τέσσαρας ἀγγέλους etc., ubi, quotquot vidi, explanatores vocc. ὁ ἔχων τὴν σάλ-

Sed tu, qui semen largiris serenti, copiosam affer sementem etc., tum subsequens impedit Pronomen secundae personae ὑμῶν [pro quo sic dicendum fuit αὐτῶν], tum quodammodo hoc, quod vv. ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν – βρῶσιν ad l. Ies. 55, 10. composita minime concitatum Apostoli animum referunt. Nam alius verba suae affingere orationi, id sobrii est hominis, non impotentius commoti. Eodem argumento Wahlii [Clav. s. v. χορηγεῖν et πληθύνειν] repellenda est sententia, qui Infinitivos optandi vim habere affirmat, ut sensus prodeat hicce: qui semen distribuit serenti, quam vellem eum vestram adaugere sementem! Neque enim sic potest absolute poni Infinitivus, nisi quando concitata mente vehemens quoddam desiderium proloquaris, quod ipsi a Matthiae [in Gr. §. 547.] adscripti ostendere poterunt loci. Sed nescio quis Wahlium incessit horum Infinitivorum

---

πιγγα per sermonis ab hoc scriptore commissum vitium pro τῷ ἔχοντι posita cum τῷ ἀγγέλῳ copulaverunt h. s.: audivi vocem, quae ad sexti tubam tenentis angeli aures sic acciderет: solve etc. At non fuit ille summae negligentiae crimine ibi onerandus, ubi vel fugitivo, ut dicunt, oculo perlustrantem verbis ὁ ἔχων τὴν σάλπιγγα et ipsis angelum compellari vix poterat praeterire h. r.: heus tu, qui tubam fers, solve quatuor angelos. Neque comminiscereris, unde, qui tam aperta res doctorum hominum animadversionem effugere potuerit, pateat, nisi, quibus iam antiquitus male intellecta verba ὁ ἔχων τὴν σάλπιγγα in Codicibus turbata esse constat, inepta interpretamenta ὃς εἶχε et τῷ ἔχοντι [v. Griesb.] fraudi illis fuisse iusta foret suspicio. Ceterum ne istius modi explicationes vitiosa Apocalypseos oratione diutius sustententur, eo optime cavebitur, si quis laudabile Wineri [in Gr. p. 70. et 84.] secutus exemplum huius orationis puritatem accuratius pervestiget, quem tamen acerbiorem Wineri aliquantum emolliturum certo scio sententiam.

amor*). Sic ille hos ibi etiam tanquam Optativorum vicarios fovit, ubi hi ipsi suam provinciam

*) Eodem Infinitivorum favore factum credo, ut Winero [in Gr. p. 31.] levius hoc obreperet vitium, quo Luc. 17, 8. φάγεσαι et πιέσαι Infinitivos Aoristi secundi ad primi normam concinnatos, quos scilicet non observarint Matthiae, Buttmannus et Lobeckius, praedicaret. Nimirum ipse accentus φάγεσαι πίεσαι [cf. paulo ante ἀνάπεσαι] opinatos Infinitivos detracta larva Imperativos Medii prodit. Sed huic quidem errori, cuius a quoque facile impetratur venia, moleste fero plures alios magis etiam foedos adiectos reperiri in Grammatica, quorum paucissimos non alio sane consilio commemorabo, nisi ut Winerus versa in res etiam minutas cura de utilissimo libro in altera editione turpes auferat maculas. Igitur p. 31. triplex reperit augmentum in ἠνεῴχθη et ἠνεῳγμένη, sed sibi ipse contradicens de duplici loquitur pagina sequente, post dicturus, nihil aliud, nisi in uno Augmentum [ita ἠμφίεσα, ἠναντιούμην, ἠφίουν, ἠντιβόλουν.], Reduplicationem in altero [cf. δεδιῳκημένος, ἠπηνημένος, δεδιακόνηκα.] ipsi esse Praepositioni indita; p. 82. συνετέθειντο Ioa. 9, 22. pro Medio habet; p. 83. ἐκλεξαμένους Act. 15, 22. esse putat *qui se eligi siverunt* h. e. *electos*, ut cum v. ἄνδρας copulet. Quin ἐκλεξαμένους, de qua re dubitari plane nequit, subiectum est pertinens ad ἀποστόλοις et πρεσβυτέροις h. m.: *Visum est apostolis, presbyteris cum universo coetu, postquam elegerint ex se viros, eos Antiochiam ablegare.* Quanquam hic quidem festinationis suae consortes habet Kuinoelium et Schottum, al., quibus omnibus, scio, quid fucum fecerit, sed eximat scrupulum Thuc. VIII, 11. Ἔδοξεν αὐτοῖς τῷ πεζῷ προςκαθημένους φυλακὴν ἔχειν. Sed p. 92. pro χωρίζηται scribe χωρίζοιτο; p. 94. ἠνεσχόμην Act. 18, 14. pro *Imperfecto* cepit; p. 97. τελέσητε pro Imperativo et Act. 18, 19. σιωπήσῃς pro Futuro venditavit; quem locum p. 104. male explicat Luc. 9, 45., ibi ἦν παρακεκαλυμμένον Plusquamperfectum est. Sed quoniam haec et alia multa eiusdem generis per se facile corriget Vir Praestantissimus, malo nunc hac occasione usus difficillimae quaestionis dirimendae aliquod specimen edere. Etenim quod Winerus [Gr. p. 72.] in l. Luc. XV, 7. ipsum χαρὰ ἔσται nude per se positum, quia ἤ subiungatur,

administrant. Id valet de I. Thess. 3, 11. 12. αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς — κατευθύναι τὴν ὁδὸν ἡμῶν πρὸς

---

maiorem indicare laetitiam censet, id mihi fateor prorsus barbarum videri, et cum rationis humanae praeceptis, quam ipso veterum usu non minus acriter colluctari. Qui si in Kuinoelii partes concedens μᾶλλον ad vocem comparandi vi instructam ἢ aptum solemniter hic deesse affirmasset, certe, et quod cuipiam videri posset plausibile, et inveteratis Grammaticorum opinionibus admodum congrueret, protulisset. Mihi quidem huius usus semper hanc potissimum placuit rationem amplecti, ut Positivus primo consummatam in se et perfectam notionem contineat, post, ubi scriptori simpliciter positam rem alii comparare in mentem venit, accommodare putetur eam illi sic, ut ἢ quidem diserte addat, Comparativum autem sequenti ἢ congruum, ut cuius vim ex antecedenti Positivo deducere proclive sit, expressis verbis superaddere sermonis et brevitati et suavitati consulturus saepenumero negligat. Id qua mente dicam, quo appareat, in explicanda locorum, quos Kuinoelius ad illum Lucae l. convexit, indole immorari satis habebo. Tob. 6, 12. σοὶ καθήκει λαβεῖν, [μᾶλλον] ἢ πάντα ἄνθρωπον *te convenit illam recipere* [*et quidem magis etiam*], *quam quemvis alium*. Sir. 22, 15. Ἄμμον καὶ ἅλα καὶ βῶλον σιδήρου εὔκοπον ὑπενεγκεῖν, [καὶ εὐκοπώτερον ἔτι] ἢ ἄνθρωπον ἀσύνετον. II Macc. 14, 42. Εὐγενῶς θέλων ἀποθανεῖν, [καὶ τοῦτο μᾶλλον αἱρούμενος] ἤπερ τοῖς ἀλιτηρίοις ὑποχείριος γενέσθαι. Soph. Ai. 981. ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν [καὶ πικρώτερος] ἢ κείνοις γλυκύς. Quamquam de h. quidem l. multum dubitari potest: quid si pro ἢ scribi vetet, acutissime aperuit Hermannus ad h. l.; Nitzschii [ad calcem ed. Plat. Ion. p. 69.] interpretatio: *mihi acerba, sive illis dulcis eius mors acciderit, ipsi vero felix fuit:* mihi et paulo coactior et ad submovendam, quae in v. ἢ inest, difficultatem minus idonea videbatur. Luc. XVII, 2. Λυσιτελεῖ αὐτῷ, εἰ μύλος ὀνικὸς περίκειται περὶ τὸν τράχηλον καὶ ἔῤῥιπται εἰς τὴν θάλασσαν, [μᾶλλον] ἢ ἵνα σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων. Quodsi cui ratio modo a me commendata non satisfecerit, is eiusmodi locis poterit aut eo salutem quaerere, ut cum Hermanno ad Vig. p. 884. [cui suffragari video Winerum in Gr. p. 146., qui idem his contraria pro-

ὑμᾶς· ὑμᾶς δὲ ὁ κύριος *πλεονάσαι* καὶ *περισσεύσαι* κ. τ. λ. II Thess. 3, 5. ὁ δὲ κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας κ. τ. λ. II Thess. 2, 17. αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἡμῶν -- παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας. I Petr. 5, 10. ὁ δὲ θεὸς πάσης χάριτος -- αὐτὸς *καταρτίσαι* ὑμᾶς, *στηρίξαι*, *σθενώσαι*, *θεμελιώσαι* [sivera lectio]. In his enim et Rom. 15, 13. Hebr. 13, 21. ne Infinitivos investigando operam perdas., vel simillima ea absterrere debent loca, ubi in oculos incurrunt optativi, v. c. II Thess. 3, 16. αὐτὸς δὲ ὁ κύριος τῆς εἰρήνης δῴη ὑμῖν τὴν εἰρήνην διαπαντός. I Thess.

---

tulerat p. 71.] ἢ hic proprie interrogandi „*an forte*“ vi praeditum esse statuat, quod sane firmare putem talia loca, ut Luc. XVIII, 14., si sic interpungas: Κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ· ἢ *γάρ* ἐκεῖνος; ὅτι κ. τ. ἑ. [alioqui hic nimis insolens γὰρ particulae usus, quem iam veteres Grammaticos exercuisse testimonio est lectionis diversitas, omnes deberet male habere], aut Nitzschii [qui in l. l. p. 67 — 73. omnino conferendus.] ingenioso praecepto obsecutus eo, *quod verba inclinationem indicantia non possint non uno delecto repudiare alterum, et quod fere sic sint istae enunciationes dispositae, ut alterum ab altero tolli apertum sit*, promptam huic, quae fertur, Ellipsi conciliabit veniam. At vero huius observationis nullus plane fructus est ad patefaciendam loci Luc. XV, 7. λέγω ὑμῖν, ὅτι οὕτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐννενηκονταεννέα δικαίοις, οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας. naturam, quem nos, quod impense miramur nemini hucusque cognitum fuisse, confidenter pronuntiamus sic esse intelligendum, ut omni Ellipsi de medio sublata e vocula *οὕτω* Comparativi sit petendus significatus h. m.: *Assevero vobis, eodem modo, quo ille homo una, quam amiserat, pecude recuperata vehementius gaudeat, quam de reliquis nonaginta novem, quorum non erat iacturam periclitatus,* (οὕτω) *item caelites unius scelesti emendatione vehementius esse laetaturos, quam nonaginta novem bonis morum correctione haud indigis.*

5, 23. αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ἡμᾶς ὁλοτελεῖς καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα τηρηθείη, quamvis hic eiusmodi compareat in paucis subsidiis criticis [v. Griesb.] prava lectio [τηρηθῆναι], quae ἁγιάσαι iam olim pro Infinitivo temere habitum declaret. Praeterea, quod pace Viri egregii dixerim, sane illi addendum fuit, receptos Accentus se in Infinitivorum gratiam ita mutatos cupere, ut pro Optativis κατευθύναι, περισσεύσαι, θεμελιώσαι etc. pluries reposito pusilla quidem opera Circumflexo surrogetur Infinitivus. Ut tamen, unde paululum exspatiata est, eo se iam recipiat oratio, non minus II Cor. 9, 10. sine ulla dubitatione Optativos χορηγήσαι – πληθύναι – αὐξήσαι statim praeferrem, nisi tertia quaedam lectio χορηγήσει – πληθυνεῖ – αὐξήσει ipsi Griesbachio potior visa de dignitate concertaret. Est autem hoc sensus discrimen, ut, si Optativis primas detuleris, oratio sit Apostoli Corinthiis optima quaeque apprecantis; sin ad Griesbachii partes accesseris, cum spe, ratum fore votum, fortunam liberalitati secundam exoptantis. Nec profecto, utrumcunque tandem antetuleris, non bene quadrat v. 10. ad commata praegressa octavum et nonum, vel probatis optativis: potest deus omnis generis bonis locupletare, ut etc. — — qui vero semen confert in serentem, is vobis quoque semen *largiatur*, h. e. in votis mihi est, ut vobis concedat, vel receptis futuris: potest deus variis bonis cumulate vos ornare, ut etc., qui vero semen distribuit serenti, etiam vobis largam eius suggeret copiam h. e. *et opto, et spero, fore*, ut suppeditet. Non magis alterutra approbata lectione opinari licet versum 10. male incipere a verbis: ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, quippe quae dei circumscriptio voce δὲ praecedentibus annexa antea de alio, qui non

sit deus, sermonem fuisse argumento sit. Etenim ante oculos situm est, propterea illam in limine versus 10. per δὲ ligatam conspici, quod ea documentum sui vel desiderii [h. m.: recte copiosam sementem a deo vobis exopto, quoniam is est seminis largitor.] vel spei [h. s.: cum firma spe multum seminis a deo vobis expeto, quippe qui, modo voluntas assit, semen possit concedere.] contineri P. voluit, unde vel illis verbis utramque scripturam rite accommodari posse cognoscitur. Quocirca hoc unum levi momento superiores reddere videtur optativos, quod et alibi in locis simillimis Paulum his usum novimus [vid. supra.], et [nam ob summam literarum viciniam ex altero in alterum aberrari facillime poterat, ut Codicum quidem suffragium hic nulla admodum vi polleat.] illud ipsum fortasse multis commendavit futura antiquitus, quod potius convenire videbatur Apostolo, animi votum cum boni eventus omine, quam simpliciter enuntiare. Idem de I Petr. 5, 10. sentio. Nam cum vel propter praegressam v. 9. malorum consolationem futuris, quae boni ominis praeberent praesagium, et ipsis magis esse locus videretur, multos deinceps illa corruperunt Codices. Ceterum fuit constantiae, ut Griesbachius vel optativos vel futura quatuor verborum continua reciperet. Inconcinne enim καταρτίσαι retinuit, qui idem στηρίξει, σθενώσει, θεμελιώσει exarari iuberet.

Sed ita placet nostrae disputationi finem imponere, ut Infinitivi absolute positi a Winero in Gr. p. 101. allata diligentius perquiramus exempla. Quem virum nolim Kuinoelio assensum Luc. 9, 3. ἔχειν pro Imperativo poni professum esse. Namque ipsum μήτε verba μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας non ad ἔχειν referenda esse, sed ad superius μηδὲν

αἴρετε εἰς τὴν ὁδόν, ut cum his *μήτε ῥάβδον, μήτε πήραν, μήτε ἄρτον, μήτε ἀργύριον*, quale dixerit *μηδέν*, accuratius constituat h. r.: Ne quid omnino in itinere vobiscum gestetis, *nec baculum, nec saccum, nec cibos, neque argentum, nec binas tunicas.* Inde autem virgula post *χιτῶνας* distinguendum esse et Infinitivum *ἔχειν* toti, quae praecessit, sententiae explicandae inservire manifestum est h. m.: Ne portate vobiscum *aliquid*, vel — vel — vel — vel binas tunicas, *ut illa, quae modo sigillatim perlustravi omnia, habeatis* [*μηδὲν αἴρετε — ἔχειν*]. Cuius quidem Infinitivi explicandi potestate praediti pauca exempla iam supra [p. II. p. 60.] collegi, et pluribus de eo dicendi locus erit infra alicubi: nunc unum apposuisse satius est Coloss. 4, 6. *ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, ἅλατι ἠρτυμένος, εἰδέναι κ. τ. ἑ. ut nempe sciatis*, in quo Infinitivo, cum vel ibidem v. 3. *λαλῆσαι τὸ μυστήριον τοῦ χριστοῦ* alium, cuius par sit ratio, prae se ferat, quidnam singulare repererit Winerus [in Gr. p. 99.], id viderit ipse. Quodsi Lucas verba *μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν* peculiarem, quae non esset antecedentium regimini subiecta, sententiam complecti voluisset, pro *μήτε* scribendum ipsi fuisset *μηδέ*, ut sensum v. 3. in duas dispesceret enuntiationes has: *Ne quid in itinere vobiscum circumferte, sive baculum, sive peram, sive panem, sive pecuniam et — nolite binas tunicas possidere.* Ceterum interpretes, ut v. *μήτε — — ἔχειν* hoc sensu: *neve binas tunicas habeatis* acciperent, avertit haud dubie cum pravum quorundam librorum [v. Griesb.] interpretamentum *ἔχετε*, unde *ἔχειν* iamolim sic intellectum viderent, tum vetustarum versionum [Syrus: ܘܠܐ ܬܗܘܝܢ ܠܟܘܢ ܬܪܬܝܢ ܟܘܬܝܢܝܢ ✲ Itala: *neque duas tunicas habueritis.*

Vulgat.: *neque duas tunicas habeatis.*] auctoritas, ubi in eandem explicationem incidissent. Verum his quidem universum sensum declarasse saepissime contentis ibi perquam tenue inest auxilium, ubi opus est subtilitate grammatica. — Pariter Winerus cum interpretibus, quos equidem contulerim, omnibus in l. Rom. 12, 15. *χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων* Infinitivos absolute positos Imperativorum immigrasse sedem existimat. Sed qui hos ad hanc sententiam perduxerunt proxime praegressi Imperativi v. 14. *εὐλογεῖτε — εὐλογεῖτε, μὴ καταρᾶσθε*, tantum abest, ut mihi assensum ullo modo exprimant, ut propter hos ipsos aliter esse cogitatione comprehendendos mihi persuasum habeam. Adeo enim abrupti essent hi post Imperativos actutum illati Infinitivi, ut id nemini non mirabile deberet accidere. Adde, quod statim subsequentia participia *τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες, μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι*, quorum ipsa conditio, ea ab aliquo superius posito verbo pendere, indicet, non recte explanari possent, si versus 15. *χαίρειν — κλαιόντων* aliqua in se perfecta contineretur sententia, et omissus ante *χαιρόντων — κλαιόντων* Articulus impedit, quominus de universali cum interpretibus cogitemus sententia hac: *in quorumcunque vel laetorum vel moestorum uti laetitiae ita moestitiae societatem concedite.* Quare qui iam sine cupiditate ad hunc se locum contulerit, eum in hoc mecum spero consensurum, Infinitivos *χαίρειν* et *κλαίειν* a praegressis verbis *εὐλογεῖτε — μὴ καταρᾶσθε* suspensos totius v. 14. argumentum exponere, ut *κλαίοντες* et *χαίροντες* non omnes sint laeti et tristes homines, sed nonnisi hominum Christianorum vexatores [*οἱ διώκοντες*], Participia autem v. 16. *φρονοῦντες — φρονοῦντες — συναπαγόμενοι*

e vv. εὐλογεῖτε – εὐλογεῖτε – μὴ καταρᾶσθε. haud dubie apta censeri debere. Itaque hic exorietur v. 14–16. sensus: *Bona apprecemini vexatoribus vestris, bona, inquam, precemini, neque mala imprecemini, ut nempe cum iis laetis laetemini, cum moestis doleatis, tanquam homines, qui mutuae concordiae operam detis, neque alta spiretis, sed demissos homines imitemini.* Bene sic cohaerebit v. 14 et 15. Nam nonnisi qui placato est et ab omni iracundia alieno in adversarium animo, adversa eius fortuna dolere, secunda gaudere potest. Illi vero, qui nostram interpretationem eo evertere voluerit, quod in hoc Capite hiulca saepius et perturbata oratio appareat, auctor equidem ero, ut inde a v. 6. diligenti explicatione in iis, quae maxime queant aspera videri, nonnulla interpretum vitia ipse potius aboleat, quam iis amplius innixus nostras res invidiosius carpat. Sed aliam Infinitivos istos explicandi rationem offert Winerus l. l. Aut enim pro Imperativis, inquit, locati sunt Infinitivi, aut adiuvari debent cogitatione adiecto δεῖ. At quemadmodum hac tali diversitate summa Infinitivorum ratio non immutatur, ut quos utroque modo solute usurpatos perspicuum sit, sic per δεῖ, quando non sic legitur: χαίρειν ὑμᾶς μ. χ. καὶ κλαίειν ὑμᾶς [δεῖ] μ. κλ. oportet vos etc., non recte expleres Infinitivos, nisi in universali sententia: *Est omnino cum hominibus laetis laetandum, cum tristibus dolendum:* quam a verbis abhorrere iam supra docui. Nolim autem Winerum, ut verbum δεῖν interdum deesse commonstraret, loco Act. 3, 13. abusum esse, ubi, si omissum scilicet δεῖ animo complectendum sit, quod equidem cum Krebsio ac Kuinoelio plane

sentiens non credo, distat illud longissime ab eo, quo Grammatici infinitivum absolutum compensarunt. Hoc enim aliasque voculas Grammatici, ut, unde forma Infinitivi nata esset, intelligeretur, mente adiungendum declararunt, illud [quo de vide Lobeckium ad Phryn. Ecl. p. 753.] non ad illustrandam quoque in loco formam, sed *ad notionum integritatem* requiritur. Veluti in detrito illo exemplo ἡγούμην τάττειν Infinitivus quidem habet, unde pendeat, ἡγούμην, sed *necessitatis* significatio de more Graecorum *animo magis inclusa tenetur*, quam *verbis enuntiata est*.

Postremo cum Philipp. 3, 16. τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι sine dubitatione Infinitivum solute collocatum esse, ut δεῖ sit extrinsecus assumendum, significaret, habuit ille quidem consentientes plerosque interpretes, ut iam antiquitus Oecumenium, qui: τὸ χωρίον τοῦτο, inquit, ἢ προτροπῆς ἐστὶν, ἢ εὐχῆς· ἀλλ' εἰ μὲν προτροπῆς, λείπει τὸ δεῖ. Δεῖ, ὑμᾶς στοιχεῖν τῷ αὐτῷ κανόνι, ὀφείλετε τὸ αὐτὸ φρονεῖν. nuper Heinrichsium. Sed cum nonnisi vel e concitata Apostoli mente, vel e sermonis anacolutho Infinitivus, quem vocant, absolutus fluere potuerit, hic autem per totum locum et sedata sit oratio, et structura admodum simplex, ut ab anacoluthi quidem aucupio animus sit plane cohibendus: ex hoc etiam loco in posterum exsulabit Infinitivus iste, idque tanto certius, quo melius sublata post ἀποκαλύψει graviore distinctione suspensisque indidem Infinitivis στοιχεῖν – φρονεῖν et constructio procedet, et vero sensus h. m.: *Quotquot sumus perfecti, hac mente simus* [scil. ut τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως consectemur] *et si qui vestrum secus* [aliter, credo, quam perfecti est hominis Christiani] *sentient*, *etiam* [ut alia, Oecum.: τὸ δὲ καὶ τοῦτο, ὡς καὶ τὰ ἄλλα πάντα

φησίν] *h o c* [nempe, *vos perverse statuere.* Oecumen.: *ὁ θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψει, ὅτι, φησίν, οὐ καλῶς οὕτω φρονεῖτε*] *vos docebit:* praeterea [repete *ἀποκαλύψει ὑμῖν* vobis planum faciet.], quod ego Paulus iam adeptus sum [ut omni virium ope ad *τὸ βραβεῖον τ. ἄνω κ.* emitar.], eodem modo vos vivere et eiusdem utique mentis esse h. e.: Instituet vos, ut, quam ego consecutus sum *τῷ βραβείῳ τῆς ἄνω κλήσεως* intentam mentem, eiusdem participes fieri ipsi annitamini. Probe autem licere nostri loci cohaerentiam in hunc modum effingere, iam perviderat Oecumenius, qui: *εἰ δὲ εὐχῆς τὸ χωρίον τοῦτό ἐστιν,* inquit, *ἀπὸ κοινοῦ ληφθήσεται τὸ ἀποκαλύψει, οἷον, ἀποκαλύψει ὑμῖν τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι καὶ ἑξῆς.* Sententias autem ipsas sic non dissociatas, sed in miram concordiam iunctas apparere, nemo quisquam infitiari sustinebit. Perfecto Christiano, inquit P., me exemplum praeeunte in eo est studium ponendum, ut *τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως* consequatur. Sed si qui vestrum minus in id intenti erunt, magna mihi spes est, fore, ut deus et perperam vos statuere edoceat, et, quo ad meum *τὴν ἄνω κλῆσιν* vehementer expetentis exemplum vos conformetis, instituat. Haec autem postrema commode excipi cohortatione [v. 17.] ad ipsius in omni virtute [v. 18. 19.] imitandum exemplum, sponte sua apparet. Ne quid tamen causae meae appositum praetermisisse convincar, moneo, quod a Michaële institutum mihi ipsi olim perplacuit, ut Infinitivi *στοιχεῖν*–*φρονεῖν* v. 16. a sequentis commatis vv. *Συμμιμηταί μου γίνεσθε* apti habeantur, id valde suspectum reddi eo, quod ita dura prodit sententiae colligatio et spiritus in h. l. conspicuus detrahitur multumque de vi sua amittit, ne alia commemorem. Sed tamen id idoneo documento est,

illum etiam virum, quam non concinat cum huius loci forma Infinitivus, quem opinati sunt, absolutus, probe cognitum habuisse. Lectionis autem discrepantiam, quam hic reperias incredibilem, consulto nunc missam fecimus, ne quis forte argumentorum a nobis tractatorum varietate offensus iusto pluribus ambagibus nostram disputationem devolvi criminaretur. — Quae si recte exposita sunt, satis effectum erit, Infinitivi sic absolute positi, nisi quidem certiora afferantur exempla [quae mihi fateor nulla succurrisse.] nullum plane in Novo Testamento usum esse.

Transeo nunc ad locum II Cor. 6, 11 — 13., ad quem duae me res deduxerunt, primum quod versus 13. verba *τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν* diligentius explicari debere videbam, deinde quod illum haud supervacanea sperabam facturum, qui verbis v. 11. per se satis quidem ambiguis ex universi huius Capitis indole aliquid certae lucis attulisset. Credo enim interpretum eo maxime hic dissidium ortum esse, quod in praesens Apostoli consilium *accuratius* inquirere neglexerunt. Vult autem Paulus eo nunc Corinthios adducere, ut, quam susceperant, novam doctrinam vita quoque sua testatam reddant, quod tamen consilium Cap. VI, 1. *συνεργοῦντες**) — — *δέξασθαι ὑμᾶς* di-

---

*) Emmerlingius verbis *συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν* hunc subiicit sensum: *Ita vero et factis etiam, non tantum verbis, auctores vobis sumus:* quem equidem vehementer miror eiusmodi verborum satis perspicuorum explicationem comminisci potuisse. Nunquam enim *συνεργεῖν* vel in N. T. vel apud graecorum scriptorum quemcunque *simul factis*, quae verbis effectu destitutis oppo-

serte indicatum eo quodammodo obliteratur, quod interposito suo Apostoli et officia muneris sincere

---

nantur, *aliquid declarare* significat, ut ille putavit, et in errorem inductus verbis seq. μηδεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προςκοπὴν et quod cohaerentiam huius versus cum Cap. V, 20. etsi illam particulis δὲ καί clare indicatam non perspexit. [Cf. Emmerl.]. Etenim συνεργεῖν, quem habet, ubi de rei christ. administris legitur, in N. T. peculiarem *simul* de religione Christiana bene merendi h. e. vel *cum deo* [I Cor. 3, 9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοὶ] *et Christo*, cuius utriusque illa est praecipuum in his terris ἔργον [Rom. XIV, 20. Phil. II, 30.], vel cum *aliis novae disciplinae praeconibus* [Phil. II, 25.] rem Christianam augendi significatum [I Cor. 16, 16.], is hic quoque valet, ut συνεργοῦντες non sint diversi ab illis, quos V, 20. ὑπὲρ χριστοῦ πρεσβεύειν dixerat h. e. *Paulus solus*. Cohaeret autem VI, 1. cum V, 30. non, quemadmodum Emmerl. existimavit, ut sibi opposita sint haec δεόμεθα ὑπὲρ χριστοῦ Christi nomine vos *verbis provoco* et συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν *vita etiam factisque cohortationibus meis vim addo*, sed ut, cum non differant Δεόμεθα ὑπὲρ χριστοῦ et συνεργοῦντες παρακαλοῦμεν, sibi potius opponantur καταλλαγῆναι τῷ Θεῷ et μὴ εἰς κενὸν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ δέξασθαι, quorum illud minus, hoc maius et gravius est. Nam καταλλάσσεται Θεῷ, qui admittit τοὺς διακόνους τῆς καταλλαγῆς [5, 18.], et doctrinam peccatorum veniae praeconem profitetur; sed οὐκ εἰς κενὸν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ δέχεται is, qui illi studet vitae sanctitati, quam nova doctrina praecipit; quod discrimen iam Chrysostomus ad h. l. bene intellexit, qui: ἵνα μὴ νομίσωσιν, inquit, ὅτι τοῦτό ἐστι καταλλαγὴ μόνον τὸ πιστεῦσαι τῷ καλοῦντι. ἐπάγει ταῦτα [scil. μὴ εἰς κενὸν - - ὑμᾶς] τὴν περὶ τὸν βίον σπουδὴν ἀπαιτῶν. Unde locus hunc habet sensum: Praeterquam quod vos *pro muneris mei auctoritate* [δεόμεθα ὑπὲρ χριστοῦ] ad reconciliandam cum deo amicitiam cohortatus sum [cf. 5, 20.], hoc quoque [δὲ καὶ] vos admoneo tanquam Christi legatus, ne frustra beneficium divinum accepisse existimemini et ut eiusmodi quidem legatus, qui nemini sit offensioni, etc. Ex his manifestum

exsequentis et per omnia rerum discrimina probati exemplo auctoritatem conciliaturus admonitionibus et virtutes, quibus sit conspicuus, et pericula, quae adierit, recenset uberius [vers. 3 — 10.]. Itaque interpretes plerique hanc ipsam magis Pauli in administrando munere virtutum calamitatumque recensionem, quam consilium, quo ductus eam Apostolus confecerit, contuiti, cum quo vinculo locus v. 3 — 10. cum v. 11 sq. nexus sit, declarandum esset, quam suum cuique maxime commendavit ingenium, sententiarum sunt amplexi cohaerentiam, quam tanto rectius deinde se suscepisse putarunt, quanto fuit facilius, minus definita v. 11. verba ad suum consilium contorquere. Nullam a V. D. inirem gratiam, si omnes undique interpretum collectas sententias hic coacervarem. Itaque quid mihi veri videatur simillimum statim aperiam, potissimas aliorum sententias per occasionem meae explicationi intersertururus.

Iam qui sine cupiditate locum v. 3 — 10. consideraverit, ei non potest obscurum esse, hoc duplici se nomine Paulum tanquam probatum Apostolum proponere, primum, quod sit instructus iis virtutibus, quibus ornatum esse magnopere decuit Christi legatum, quales sunt *ἁγνότης γνῶσις, χρηστότης, πνεῦμα ἅγιον*, aliae, deinde quod has ipsas virtutes per omnes et adversae fortunae [v. 10.

---

est, v. *μηνεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προςκοπὴν* cum sequentibus Participiis per Appositionem vocabulis *συνεργοῦντες παρακαλοῦμεν* adiecta, ut cohortationi *μὴ εἰς κεν. — ὑμᾶς* vis adderetur atque auctoritas, posita esse a scriptore [*ego Ap.*, tanta religione muneris officia obire soleo.], non quemandmodum Emmerl. statuit, ut, cur *συνεργοῦντες* dixisset, commemorandis iis, quae vel fecisset, vel etiamnum faceret, explicaret.

ὡς πτωχοί etc.] et malorum hominum iniurias [v. 5. *ἐν πληγαῖς* v. 8. et 9.] comprobaverit. Qua exposita re si in universum, quid P. v. 11. aptum ad superiora dicere potuerit, quaeratur, nemo hanc alienam sententiam putabit: *Haec ad vos dixi; ex his autem intelligi poterit, quid valeat in me aliorum hominum amor.* Nam recte suum in Christianos amorem e susceptis in causa christiana laboribus apparere dixerit. Neque vero quidquam aliud, si quid video, sibi voluit Ap., quod ut probem, pauca de formulis *ἀνοίγειν τὸ στόμα* et *πλατύνειν τὴν καρδίαν* ipsis, plura fortasse de ratione, qua tota posterior v. 11. sententia cum priore *τὸ στόμα ἡμῶν ἀνέῳγε πρὸς ὑμᾶς* cohaereat, erunt mihi disputanda.

Nititur autem diversa verborum *ἀνοίγειν τὸ στόμα* potestas eo, quod potes os aperire, vel ut loquaris, vel propter alias causas, quarum quantus erit numerus, tanta notionum, quas fundat illa formula, sit diversitas necesse est, quamquam illud semper tenendum puto, effici eam, cum *ἀνοίγειν τὸ στόμα* nunquam non sit *os aperire*, vel sententiarum nexu, vel adiecta aliqua vocula, ut praepositione vel adverbio [Cf. LXX. Thren. 3, 46. 2, 16. Ps. 119, 132.]. Sed quando oris diductionem tanquam conditionem loquendi ponas, nihil dicet illa locutio, nisi os diducere ad loquendum h. e. vel *loqui incipere*, vel *loqui* simpliciter. Ille sensus, quem vel rei natura commendat, quoniam, qui aperit os ad loquendum, is in eo est, ut dicat, haud dubie ibi locum habet, ubi formulae nostrae aliud est additum verbum, quod *sermone uti* significat, v. c. Sirac. 51, 35. *ἤνοιξα τὸ στόμα μου καὶ ἐλάλησα* Iob. 3, 1. Dan. 10, 6. Matth. 5, 3. Act. 8, 35., ut nihil hic, nisi *initii* notionem comprehendat. Haud

enim veteres homines pro sua in cogitando simplicitate describendo id, quod in homine ad emittendas se voces componente, antequam ipsi audirentur soni, animadverteretur, quam singulari aliquo verbo exprimere maluerunt, quemadmodum ipsi Graeci notionem eius, quod rem praegreditur, praemisso praeter necessitatem illo, quod praecedere soleat, exprimere consueverunt, dicentes v. c. *ἑλόντα ἔχειν, ὁρμώμενον στρατεύειν, λαβόντα κτείνειν*, de quo Participio multa congesta vide apud Erfurdtium ad Sophocl. Oed. Tyr. v. 733. Sed eadem illa notio initii in loquendo valet etiam in aliis locis, ubi *ἀνοίγειν τὸ στόμα* simpliciter legitur v. c. Act. 18, 14. *Μέλλοντος δὲ τοῦ Παύλου ἀνοίγειν τὸ στόμα* cum in eo esset P., ut loqui inciperet. Fortasse apud Rabbinos posteriori tempore solum verbum פתח significavit dicendi initium facere. Certe formulam rabbinicam [cf. Buxtorf. Lex. talm. p. 1872.] נפתח ברבותנו sic explicuerim, ut ad verbum mente adiiciam פומן [cf. Ps. 78, 2. אֶפְתְּחָה בְמָשָׁל פִּי Sirac. 39, 5.]. Altera autem locutionis potestas, quemadmodum iam supra indicavi, haec est, ut *loqui* simpliciter exprimat, v. c. Iob. 33, 2., ubi vocc. *ἤνοιξα τὸ στόμα μου* respondent in altero membro haec: *ἐλάλησεν ἡ γλῶσσά μου.* Quare vehementer fallatur, qui praeterea nescio quam notionem in ea quaerat. Nam ubi tali opus est, tenentur eam scriptores adiectis aliis vocabulis efferre, ut adverbiis Prov. 31, 26. — *σοφῶς καὶ νομοθέσμως*, ut praepositionibus Ios. 11, 35. *κατὰ σοῦ* in tuum detrimentum. V. 36. *πρὸς κύριον*, Sirac. 22, 22. *ἐπὶ φίλον* in amicum *invehi.* Sirac. 39. 5. *ἐν προσευχῇ preces fundere.* Quae si recte exposita sunt, sponte intelligitur, verba *τὸ στόμα ἡμῶν ἀνέῳγε*

πρὸς ὑμᾶς hoc solum sibi velle: *Ego ad vos dixi*; quae quo pertineat sententia, paulo est inferius disputandum. Nunc enim interpretum inde a Chrysostomo *) tantum non omnium de illis verbis sententia paucis est refutanda. Quippe hi [v. c. Grotius, Seml. Schulz. Schott. Stolz. Emmerl. al.] hic in verbo ἀνοίγειν, ut alii Ephes. 6, 19. in Nomine ἀνοίξεως **) *libertatis* notionem perpe-

*) Chrysostomus ipsum τὸ ἀνοίγειν τὸ στόμα πρὸς Κορινθίους esse τῆς ἀγάπης in Paulo ἐνδεικτικόν existimavit, et παῤῥησίας notionem ibi odoratus est hoc verborum sensu constituto: πάντα μετὰ παῤῥησίας ὑμῖν διαλεγόμεθα ὡς ἀγαπητοῖς, καὶ οὐδὲν ὑποστελλόμενοι, οὐδὲ ταμιευόμενοι.

**) Ephes. 6, 19 — εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀγρυπνοῦντες ἐν πάσῃ — δεήσει — ὑπὲρ ἐμοῦ, ἵνα μοι δοθῇ λόγος ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματός μου, ἐν παῤῥησίᾳ γνωρίσαι τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου. Hunc locum Koppius coniunctis verbis ἐν ἀνοίξει — γνωρίσαι sic explicandum censuit: *ut mihi docendi facultas concedatur, qua possim libere et vinculis solutus reconditam doctrinam tradere*; carpendus ille, et quod v. ἐν ἀνοίξει τ. στ. μ. ab antecedentibus ἵνα μοι δοθῇ λόγος divellit, et quod παῤῥησίαν, ut ab ἀνοίξει τ. στ. aliquo modo differret, ad eam libertatem, qua non est corpus constrictum vinculis, retulit. Nam ne illud faceret, satis eum monere debebat, quod ἐν παῤῥησίᾳ non est per copulam cum ἐν ἀνοίξει τ. στ. μ. connexum, quae quidem tanto minus omitti a P. potuisset, si ἐν παῤῥησίᾳ eo, quod Koppius posuit, discrimine ab ἀνοίξει τ. στ. seiunctum esse voluisset. Nullo enim modo quae prorsus est diversa res, per appositionem ad alteram adiici [(ἐν ἀνοίξει τ. στ.) *cum libertate sermonis*, (ἐν παῤῥησίᾳ) *quae est liberatio custodiae?!*] potest, sed duae, quae discrepant, res vel per copulam coniunctas ad tertium sunt referendae [ἐν ἀνοίξει τ. στ. μ. καὶ ἐν παῤῥησίᾳ γνωρίσαι], vel cum non adest copula, utraque debet cum alia notione componi [ἐν ἀνοίξει τοῦ στ. μ. — δοθῇ λόγος. ἐν παῤῥησίᾳ — γνωρίσαι]. Deinde quod παῤῥησίαν h. l. per liberationem

nemini persuadebunt, qui vel sensum formulae ἀνοίγειν τὸ στόμα simpliciter positae [quam supra vel *dicendi*, vel *dicere incipiendi* notionem habere vidimus, non libere loquendi, in qua causa Graeci dicunt v. c. ἀποκεχυμένως εἰπεῖν, ὅτι περ ἔχοι τις [cf. Plat. Euthyphr. I, §. 3. d. 7.] Latini effundere [cf. ad h. l. Fischer.] Cic. Or. I, 34.; noster ἐν παῤῥησίᾳ λέγειν Ephes. 6, 19.] vel totius loci naturam Cap. 6, 1.—10. accurate noverit. Nihil enim a Paulo, qui graviter Corinthiis ad vitae honestatem provocatis 6, 1. suum ita commendaverat exemplum, ut, quae verissime sibi tribueret memor calamitatum sine fidei suae naufragio exhaustarum, commotiori, ut vel ipsa aerumnarum enumeratio v. 4 sq. et perpetuae illae a v. 8. Antitheses docent, mente enarraret, nunc quidem magis alienum esse poterat, quam veniam petere eorum, quae in sui laudem amplius commemoraverat.

---

pauci interpretes [v. c. Koppius, Wahlius Clav. p. 721. al.] ἐπαῤῥησιασάμεθα cum λαλῆσαι, nixi eodem illo usu hebraico non penitus intellecto arctissime connexuerunt, nihil illi, nisi Adverbii *libere* potestatem vindicantes h. modo: *libere dei fiducia* [Oecumen. ἐν τῷ θεῷ ἡμῶν] διὰ τὸν ἐνδυναμοῦντα θεὸν ταῦτα τεθαῤῥήκαμεν] *vobis exposui doctrinam div. cum magna contentione.* Quin Commate post ἡμῶν posito ἐπαῤῥησιασάμεθα solum per se *libere docere* designat, λαλῆσαι autem cum suis vocabulis, cuiusmodi P. παῤῥησία fuerit, definit accuratius. Manifestum enim est, hoc sibi velle Apostolum: *Non frustra vos adii* [v. 1.], *sed* qui antea Philippis multas in causa christ. calamitates pertulissem, *libere deo fretus, doctrinam div. tradidi, ut vel magnis cum aerumnis conflictans Evangelium apud vos docerem.* Sic iam Ambrosiaster recte ἐπαῤῥησιασάμεθα cum λαλῆσαι coniunxit, ut ex hac eius versione intelligitur: — — *certa fiducia usi sumus in deo nostro,* loquendo *ad vos Evangelium dei in magno certamine.*

Nam quivis pericula, quae incolumi virtute vere adierit, apud eos homines minime putabit excusatione indigere, quos honestatis exemplum de se capere volet. —

Verborum sqq. ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται tres maxime ingressi sunt V. D. explicationes. Alii enim [Schleusn. Wahl. al.] freti Hebraeis, apud quos הִרְחִיב לֵב פּ׳ Ps. 119, 32. [cf. Ies. 60, 5.] aliquem recreare denotat, sic sunt interpretati: *animus meus exhilaratus est* eo nempe, quod illa v. 3. — 10. fusius de me disputavi. Hanc opinionem apparet ideo non recte posse a quoquam suscipi, primum quod haec ipsa sententia: *nunc vero his dictis penitus me levatum gaudeo*: alienissima nunc est a P., quippe qui neque acerbi quid Corinthiis modo scripsisset, neque, ut gloriae suae consuleret, paulo copiosius suas laudes persecutus esset, in qua utraque causa, communicata denique cum aliis animi sententia, laetari solemus, deinde vero, quod hac admissa interpretatione v. 12. στενοχωρεῖσθαι et v. 13. πλατύνεσθαι, *quorum verborum sensus a vocc. ἡ καρδ. ἡμ. πεπλ. explicatione manifesto pendet*, ad horum vocabulorum mentem adeo non possunt attemperari, ut, qui hoc conarentur, et in Grammaticam [ut iam Wolf. ad h. l. intellexit.] impingerent οὐ στενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν invita particula οὐ pro sententia prohibitiva venditantes*) [Morus, Schleusn. s. v. στε-

---

*) Ne quis hanc explicationem loco ad Rom. 13, 9. οὐ μοιχεύσεις· οὐ φονεύσεις· οὐ κλέψεις· κ. τ. ἑ., ubi οὐ pariter in interdictis conspiciatur, quod e geminis l. Marc. 10, 19. Luc. 18, 20., ubi μή recte adsit [μὴ μοιχεύσῃς κ. τ. λ.], liquido appareat, firmari posse male opinetur. Ibi enim singula verba Paulus hausit e versione alexandrina Exod. 20, 13 sqq., de quibus sic existimari convenit, interpretem grae-

νοϱωχεῖν], et sensum ab huius loci natura remotum efficerent. Aegre enim has sententias: *Est animus meus, postquam illa dixi, cura vacuus. Nolite vos propter me, ut cui mala immineant, solliciti esse, quamquam vos sollicitos esse scio; imo etiam vos ad meum exemplum exhilaremini:* vel inter se satis cohaerere, cum Ap. a molestia, quam de suis sibi rebus agendum esse cernens, priusquam de iis exposuisset, senserat ipse, ad Corinthiorum de amici fatis sollicitudinem nunquam illam alias per hanc epistolam commemoratam transiluisset, vel in hunc locum quadrare quisquam probaverit, ubi, postquam Corinthios ad virtutis studium incitaturus [6, 1.] sua egregie facta commemoraverat, vel pergere debebat in cohortationibus [v. 14 sq.], vel eiusmodi aliquid in medium proferre, quod facili sententiarum societate cum suarum virtutum descriptione cohaereret. Quod quidem alii [Seml. Schulz. Schott.], se non errare existimarunt, si in hac sententia deprehendissent: *Iam animum meum explicavi.* Videbatur enim

---

cum vel sententias prohibitivas non assecutum pro μὴ et Coniunctivo posuisse οὐ cum Futuro, vel, quod multo est verisimilius, eum lenius praecepta divina reddidisse hoc ipso οὐ atque Futuro h. m.: *non spero te adulterium commissurum* etc. [quae vocem οὐ in talibus locis recte defendendi ratio penitus fugit Zeunium ad Vig. p. 454. infra, abusum illum insuper l. Rom. 7, 7. Matth. 5, 48. 6, 5., quae ipsa viam monstrare rectam illi poterant.]. Etenim μὴ μοιχεύσῃς gravius interdiceret h. r.: *ne tu adulteres.* Ceterum discriminis vocularum μὴ et οὐ [cf. Winer. Gr. p. 127 sqq.] atque inde ductorum vocabulorum saepissime immemores cognovi interpretes. Sic Rom. 13, 8. verborum μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε Koppius hac interpretatione: *nihil cuiquam debetis:* et in Grammaticam violenter consuluit, et male descivit a vulgati: *ne ulli quidquam debeatis,*

haec sententia quum antecedentibus, ubi multis de se locutus erat, satis convenire, tum cum versibus seq. 12. 13. bene conciliari posse, sic enarratis: *Non ego sum animo angusto, ut eius cogitata premam; sed vos estis animo angusti. At vellem vos quoque in me intuitos animum vestrum explicare.* Sed ut concedam, posse per analogiam πλατύνειν τὴν καρδίαν, quo significatu in LXX. et N. T. nunquam legi, *animum explicare* designare, cum Graecos, perquam simili tralationum genere non semel usos repererim. [cf. Eurip. Troad. v. 679. ed. Seidl. πρὸς τὸν παρόντα πόσιν ἀναπτύξω φρένα. Med. v. 665. καθαρὰν ἀνοίγειν κλῇδα φρενῶν. Philo de Somn. p. 676, 6. πάντα ἀνασείειν κάλων στόματος καὶ γλώσσης. Lepide idem ita expressit Anna Comn. XV, 488. B. πανθ᾽, ἁπόσ᾽ εἶχεν ἐν τῇ ψυχῇ, ἐξερευγόμενος καὶ ἀναφανδὸν λέγων.], et esse eos, qui sic explicarent, gravi illa motos membrorum concinnitate, quam sic huic versui vindicari putabant: *Os meum ad vos aperui; animum meum explicui*: neminem tamen spero non intellecturum, sententias h. modo affectas esse eius quidem, qui eo, quod amice cum amico nonnulla secreto communicasset, et suum propensum animum cognosci, et amicum ad eandem familiaritatem provocatum vellet, neque vero Apostoli, qui de suis virtutibus, ut se tanquam exemplum imitarentur, modo tractaverat. Quare me quidem iudice eorum unice probari potest sententia, qui ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται de P. amore explicant*): *meus animus quasi amore est latus*,

*) Sic iam ecclesiae graecae Patres, v. c. Chrysost. ἡ καρδ. ἡμ. πεπλ.] πάντας ἔνδον ἔχομεν. Theodoret. πάντας ὑμᾶς ἐν ἐμαυτῷ περιφέρω· τοιαύτη γὰρ τῆς ἀγάπης ἡ φύσις, εὐρυχώρους ἐργάζεται τὰς τῶν κεκτημένων καρδίας.

modo et Praeteritum πεπλάτυνται accurate enarretur, et cohaerentia posterioris membri cum priori, cum quo non est per copulam coniunctum, diligenter constituatur. Nam vidi [v. c. Emmerl.], qui utrumque sic connecterent: *Haec tam effuse de me ad vos dixi, quod vos amo.* Male. Non enim quae, ut se exempli loco proponeret, de se pluribus dixerat P., petitam ab amore in Corinthios excusationem desiderabant. Quin missa in v. πεπλάτυνται eius, quod *aliquando* factum sit, notione, teneo alterum, quod Praeterito adhaeret, *esse aliquid etiamnum**), sic explicans: *animus meus est amplus;* deinde utrumque membrum per orationis Asyndeton iuxta se positum h. modo coniungo: *Haec ad vos locutus sum: est animus meus amplus* h. e. amoris capax, *ut nimirum ex ante dictis intelligitis***). Sane

*) Sic I Cor. 9, 17. οἰκονομίαν πεπίστευμαι non hoc dicit: *munus aliquando mihi mandatum est*, sed *provincia olim iam concredita mihi etiamnum incumbit:* et πέπεισμαι Rom. 8, 38. 14, 14. non *aliquando mihi persuasum est*, sed *antea mihi probatum etiamnum teneo.* Item in Praeterito tenetur notio consequens Hom. Iliad. γ. 591. κεκληγώς vociferans. α, 37. ὃς χρύσην ἀμφιβέβηκας, qui *Chrysen tuitus es et etiamnum tueris.* δ, 107. δεδεγμένος excipiens, ne afferam illa vulgaria ἕστηκα, ἥκω al. Cf. Clark. ad Il. α, 37. qui multa in hanc rem congessit. Adde Virg. Aen. 2, 12. *luctuque refugit.* Cicero Offic. III, 23. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit: extorquebitne eam sapiens, *si potuerit* h. e. si potestas ei *data fuerit*, *ut potis sit* [Cf. ibi doctiss. Beier.].

**) Quod verbis non expressum: *ut nimirum intelligitis ex iis, quae supra dicta sunt:* mente adiiciendum contendi, id nihil sane habet insoliti. Cf. Soph. Oed. Tyr. 425. Ἄλλων δὲ πλῆθος οὐκ ἐπαισθάνει κακῶν, ἃ σ᾽ ἐξισώσει σοί τε καὶ τοῖς σοῖς τέκνοις scil. *si ea tute animadverteris*, quod e praegresso ἐπαισθάνεσθαι haud magnae molis est repetere. Thu-

enim e susceptis in causa aliena laboribus tuum aliorum hominum studium intelligitur. Deinde non abhorret a fide, Apostolum suas cohortationes ad virtutem copiosa suarum calamitatum enumeratione iam interruptas aliquamdiu interpellare et sui amoris significatione et de exigua Corinthiorum voluntate querelis, usquedum v. 14. ad eas revertitur. De Asyndeti autem variis conditionibus, causis, rationibus, potestatibus per hanc opportunitatem uberius disputare omitto. Etenim hoc tenuisse satis erit, esse id maxime commoti animi proprium, unde aut in plurium verborum enumeratione [cf. Cort. ad Sallust. Cat. XI, 2., Iug. XVII, 5., Reitz. et Lehm. ad Lucian. V. H. II. §. 35. ἐμείναμεν καθεύδοντες εὐωχούμενοι. Marc. 16, 17.], aut in longioris orationis fine [v. Herm. ad Soph. Philoct. v. 1199.], aut in pluribus eiusdem potestatis vocabulis propius admotis et ἐκ παραλλήλου positis [v. Matthiae ad Eurip. Phoeniss. v. 1517.], et generibus similibus usu venit. Sed idem habet tamen alias etiam rationes, ut, quod enuntiationibus antea obscurius dictorum dilucidationi inservientibus, tum quia non opus esse copula intelligerent, tum vero ea omissa arctius etiam illas iungi rati, eam saepe detrahebant [cf. Hermann. ad Eurip. Bacch. v. 275. Stallb. ad Plat. Eutyphr. p. 56.]. Et ad hoc quidem posterius genus hunc nostrum l. retulerim, ut in quo, quod se *locutum dixerat*, *quale*

---

cyd. I, 136. καὶ ἐλθόντος οὐ πολὺ ὕστερον τοῦ Ἀδμήτου δηλοῖ τε ὅς ἐστι καὶ οὐκ ἀξιοῖ, εἴτι ἄρα αὐτὸς ἀντεῖπεν αὐτῷ Ἀθηναίων δεομένῳ, φεύγοντα τιμωρεῖσθαι· i. e. indicat, quis sit, eique indignum videtur, *ut nimirum declarabat illi regi.* Lucian. Nigr. §. 10. οὐ γὰρ ὀλίγα τυγχάνεις τῇ μνήμῃ συγκεκομισμένος, *ut nimirum videris additurus*; ὡς ἔοικας προσθήσειν.

sit, *explicet*, addita ad priorem sententiam: *τὸ στόμα ἡμῶν ἀνέῳγε πρὸς ὑμᾶς*: alia sine copula: *ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται* hoc s.: *Dixi ad vos: animus meus est amoris plenus* h. e. *quod vobis dixi, eiusmodi est, ut inde me vos amare appareat.* Pariter Eur. Iphig. Aul. v. 494. *γενναῖ' ἔλεξας Ταντάλῳ, δὲ τῷ Διὸς πρέποντα· προγόνους οὐ καταισχύνεις σέθεν* Ingenua et Tantalo digna protulisti. Maiores tuos non contumelia afficis h. e. *ingenua dixisti; inde autem apparet, te maioribus ignominiam non inferre.* Quam male hic l. a V. D. vexatus fuerit, praeclare aperuit Matthiae, qui: *hoc ipso*, inquit, *plus spiritus habet oratio, quod copula deest.* Quae si recte disputata sunt, in promtu est, non posse nos merito vituperari, qui et omnino sensum ad praecedentia satis aptum effecerimus, et alterum membrum *ἡ καρδ. ἡμ. πεπλ.* ita ad prius retulerimus, ut eorum notiones necessario paene vinculo cohaereant. —

Versus 12. multi iam interpretes [Chrysost. Theodoret. Grot. Seml. Stolz. al.] animadverterunt hunc sensum esse: *Valde vos amo, non item vos me* [Emmerl.]. Sed cum Ap. suum, quo foveret alios homines, amorem eo significasset, quod animum sibi amplum esse diceret, recte in inchoata tralatione perstans non solum scripsit: *Οὐ στενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν non angustus vos locus premit in meo animo*, quo illos a se multum amari innueret, sed etiam, quod magis offendisse videtur V. D.: *στενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν*, tenuem Corinthiis in se voluntatem exprobraturus, cum iusta oppositio haec verba flagitare videretur: *στενοχωροῦμεθα δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν.* At licet tibi exiguum amorem apud amicum per illam Apostoli similitudinem hoc utroque modo castigare, ut vel tibi dicas non multum spa-

tii in eius mente concessum [στενοχωρούμεθα ἡμεῖς ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν.]: sic de tua fortuna quereris; potes autem in eius animo vix quasi pedes figere: vel ut illius, quem par erat te in sinu gestare, contendas magnas esse animi angustias [στενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν]; ita eum, cuius amorem desideras, accusas, non esse eum ad amorem compositum significans. Quod posterius cur praetulerit h. l. P., intellectu non est difficile. Sic enim potuit retenta eadem Persona in verbo στενοχωρεῖσθε angustiarum animi notio, quae est hic primaria, eminere, quare et oratio brevior et sententia acutior evaderet necessum fuit. Illam dicendi rationem secutus P. neque tam concise, cum Corinthii ita sibi oppositi, ut ὑμεῖς post στενοχωρεῖσθε, ubi primum, ἡμεῖς, ubi iterum occurrit, interponeret, postulassent [non *vos*, sed *nos* sumus in arcto], loqui potuisset, et magna pars acuminis, quod e verbo στενοχωρεῖσθε proxime repetito proficiscitur, sententiae decessisset. —

Ultimum est, ut de v. 13. paulo uberius disputemus, ubi et Accusativus τὴν ἀντιμισθίαν, quomodo esset explicandus, parum constitit inter interpretes, et de vocula αὐτὴν, quae Nomini ἀντιμισθίαν adiecta prima specie miri sane aliquid habet, praepostere sensit Emmerlingius. Ac primum quidem fuerunt, qui τὴν ἀντιμισθίαν cum v. πλατύνθητε sic optime cohaerere putarent, si aliquod verbum, et eius quidem vel Imperativum vel Participium per ellipsin omissum statuissent. Illud v. c. Oecumen., cuius haec sunt v.: τὴν δ. α. ἀ. ἀντιμισθ.] κατ᾽ ἔλλειψιν εἴρηται· λείπει γὰρ, ἢ ἐπιδέξασθε, ἢ εἰσενέγκατε, hoc praeter alios [cf. Griesb. ad h. l.] amplexus est. Vulgatus sic convertens: eandem autem *habentes* remunerationem. Sed huic quidem non nisi, ut haberent,

unde Accusativum τὴν ἀντιμισθίαν suspenderent, confictae ellipsi propterea hic nullus est locus, quod coniunctis, ut par est [v. infra], cum πλατύνθητε vocc. τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν h. s.: *expandite animum in remunerationen* h. e. *ut vos amorem meum rependatis:* eam iam adesse apparet notionem: *exhibete, monstrate* remunerationem, quam cogitatione adiecto vel Imperativo εἰσενέγκατε, vel Participio *habentes* illi attulerunt. Ceterum sic est comparatus l., ut eam nullo modo suadere ellipsin possit. Nam prorsus alia ibi obtinet ratio, ubi praemissus articulus aliquod pro rei diversitate diversum Participium mente substituendum esse clare arguat, ut ἔχων v. c. ὁ τὸν περίβολον, τὴν κιθάραν sc. ἔχων [cf. Schaefer. ad Bos. Ellips. p. 166.] ut ποιήσας v. c. Ἀπολλώνιος ὁ τὰ Ἀργοναυτικὰ sc. ποιήσας [cf. Schaefer. ibid. p. 593.]. Quare illam quidem ellipsin ad eas reiecerim, quas, cum magnae olim earum essent virorum doctorum divitiae, abstulit summus Hermannus in praeclara illa disputatione de Ellipsi et Pleonasmo in Mus. ant. stud. Vol. I. Fasc. I. p. 97. sqq. Alii, ut idem ille Oecum. [dat enim nobis pro more ex multis ineptis, quae minus inepta videantur, eligendi optionem], sublata interpunctione post ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν Particulam δὲ abundare arbitratur, cetera v. τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν adiecta mente Praepositione εἰς cum vocc. στενοχ. δ. ἐ. τ. σπλ. ὑ. in unam sententiam coniungit h. sensu: *habetis animum angustum ad mei amoris remunerationem.* En ipsa eius verba: Δύναται ἐκληφθῆναι [scil. τὴν αὐτὴν ἀντιμισθ.] καὶ χωρὶς ἐλλείψεως, ἵνα ᾖ παρέλκον τὸ δέ. πολλὴ δέ ἐστι παρὰ τῷ θεσπεσίῳ Παύλῳ ἡ παρολκὴ τῶν συνδέσμων, ὥσπερ καὶ ἡ ἔλλειψις· εἴη δ' ἂν κατὰ παρολκὴν τοῦ συνδέσμου τὸ ῥητὸν ἐκλαμβανόμενον τοιαύτην διάνοιαν παριστῶν· στενο-

χωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν, καὶ τότε εἴς τι; εἰς τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν· ἄδικον δὲ τὸ εἰς τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν στενοχωρεῖσθαι, διὸ ὡς τέκνοις λέγω· ἔτι γὰρ ὡς τέκνων τὴν ἀγάπην ἐπιζητῶ. Quam interpretationem refutarem, nisi mira illa παρολκῇ τῶν συνδέσμων niteretur, quam mihi gratum faciet, qui non solum παρὰ τῷ θεσπεσίῳ Παύλῳ, sed apud quemcunque sanum scriptorem reperiri ostendet. Alii verbis τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν absolute positis Adverbii potestatem subiecerunt. Hoc praeter Emmerlingium, qui τὴν α. ἀντιμ. per *vicissim* explicuit, quicunque illa v. sic converterunt: *ut ad similem sensum vos provocem:* haud dubie placuit omnibus. Sed praeterquam quod αὐτὴν pro αὐτοῦ non hic potest accipi [v. infra], tum demum, ut nemo non intelligit, P. recte τὴν δὲ ἀντιμισθίαν *quod ad amoris remunerationem attinet*, scripisset, si in antecedentibus haec ἀντιμισθία vel diserte commemorata, vel obscurius certe indicata fuisset. Quare τὴν δὲ ἀντιμισθίαν, qui Accusativus nulla eget Praepositione [cf. Dissert. I. p. 44.], arctissime cohaeret cum v. πλατύνθητε, ut hic prodeat sensus: *animum vestrum extendite in remunerationem* h. e. ut vos amorem meum remuneremini.

At nunc haec denique incidit quaestio, quomodo de vocula αὐτὴν sit existimandum, quae cum olim nemini fuisset offensui, Emmerl. nuper in ea primus haesisse videtur. Debet enim nos miros habere P., qui nullius antea remunerationis illata mentione nunc postulet a Corinthiis *eandem* remunerationem. Hanc difficultatem Emmerl. eo putavit depelli, quod αὐτὴν pro αὐτοῦ positum esse contendit h. modo: τὴν δὲ αὐτ. ἀντιμ. *ad eiusdem rei* [*amoris tenerrimi*] remunerationem. Sed quod ille fieri posse existimavit,

ita fortasse argumentatus, *quod eadem remuneratio sit simul eiusdem rei remuneratio*, Apostolo has notiones, quamquam laxissimo vinculo cohaerentes, nihilominus tamen confundente, id fuit ipsi saltem, et quomodo sibi animo informaverit, clare dicendum, et dilucide exposita res argumentis et exemplis confirmanda. Neque ego infitior, commode ab Emmerlingio in suam rem converti potuisse, quae Reisigius ad Soph. Oed. Col. Enarr. ad v. 409. *τοῦ μοῦ πόθου* et Brunck. ad Soph. Phil. v. 1255. *τὸν σὸν φόβον*. [cf. etiam Plaut. Amphitr. V, 1. 14. *terrore meo* occidistis. Sallust. Cat. c. 51. nemini *suae iniuriae* parvae videntur. I Cor. XI, 24. *εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν*. Thucyd. VI, 78. *τῇ ἐμῇ προφάσει*.] in commune contulerunt. Nam quemadmodum P. *eandem remunerationem* pro *eiusdem rei remuneratione* minus definite posuisset, ita Graeci v. c. *τὸν σὸν φόβον metum, qui ad te pertinet*, dicunt pro *τὸν φόβον σου metum, qui nonnisi eatenus est tuus, quatenus te timent*. Sed optime E. suam rationem corroborare potuit eiusmodi locis, ubi idem vocabulum *eiusdem* et *τοῦ αὐτοῦ* sic usurpatum occurrat. Tacit. Annal. XV, 69. Raptus in locum servilibus poenis sepositum manu Statii, tribuni, trucidatur, plenus constantis silentii, nec tribuno obiiciens *eandem conscientiam* i. e. eiusdem rei conscientiam. XV, 63. post quae *eodem ictu* brachia ferro exsolvunt. h. e. ictu eodem temporis momento illato. Thucyd. 6, 95. *ἐν τῷ αὐτῷ θέρει*, quod non esse potest: illa ipsa aestate, qua aliud gestum est, quoniam, quae hucusque memoriae prodiderat, *ipso vere* acciderunt [cf. initium capitis], imo in *aestate eiusdem anni*, cuius verno tempore gesta sunt priora *ἐν τῷ θέρει τοῦ*

αὐτοῦ ἔτους *). Ne quem transversum ageret v. c. Thuc. 8, 61. *τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους ἅμα τῷ ἦρι εὐθὺς ἀρχομένῳ*, ipsa huius l. providit natura. Manifestum est autem, in hisce locis scriptores minus subtiliter notiones constituendo *rem eandem* dicere, cum non nisi ex aliqua parte ad idem genus pertineat. Sic idem dicitur ictus, quod eodem tempore infligitur, et *τὸ αὐτὸ θέρος*, quod cum prius commemorato vere in eodem est anno constitutum. Neque ego Emmerlingio *τὴν αὐτὴν εἰκόνα* 2 Cor. 3, 18. pro *τὴν αὐτοῦ εἰκόνα* dictam existimanti magnopere obniterer, nisi *τὴν αὐτὴν εἰκόνα* recte positam esse appareret [cf. Dissert. I. p. 45.], et cum eo 2 Cor. 6, 13. *τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν* pro *τὴν αὐτοῦ ἀντιμισθίαν* per eandem negligentiam locatam rato facile consentirem, nisi plura huic interpretationi adversa viderem. Nam praeterquam quod verborum, quibus suam voluntatem Corinthiis P. significavit [*ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται· οὐ στενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν·*] loco Substantivum positum malueris [*πολλή μοί ἐστιν ὑμῶν ἀγάπη*], ut commodius post dicere potuerit *eiusdem rei remunerationem*, notio etiam *ἀντιμισθίας*, quod vel nude positum vocabulum *eiusdem rei remunerationem* designat, et respuit illam explicationem, et aliam commendat. Unde nullus dubito, quin P. hic duas has et *eiusdem rei* et *remu-*

---

*) Eiusmodi loca, ubi, utrum Genitivus, an par Casus addatur, parum referat, consulto praeterii, v. c. Xenoph. Oecon. haud longe ab initio: Ἔστιν ἄρα τὴν τέχνην ταύτην ἐπισταμένῳ, εἰ μὴ αὐτὸς τύχοι χρήματα ἔχων, τὸν ἄλλον οἶκον οἰκονομοῦντα μισθοφορεῖν, ubi praecedit de eodem plane argumento: Ἦ καὶ τὸν ἄλλου δὲ οἶκον οὐκ ἂν δύναιτο εὖ οἰκεῖν, ὥσπερ καὶ τὸν ἑαυτοῦ; Non enim in hoc nexu est *alia domus*, *nisi alius hominis domus*.

nerationis notiones, quam utramque proprie seorsim eloqui debebat, per Attractionem in unum coegerit, dicens pro sua in cogitando celeritate *τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν* pro *τὸ δὲ αὐτὸ, ὅ ἐστιν ἀντιμισθία, πλατύνθητε* animum vestrum explicate ad eandem remunerationem, pro ad eandem rem [amorem], in qua cernitur remuneratio. Ad quam sententiam cum communis illa Paulo cum ceteris Graecis in cogitando festinatio me perduxit, tum quod Graeci simillimam frequentarunt in voce *ἄλλος* Attractionem. Pauca e plurimis adscripta exempla satis docebunt, quam sit haec Attractio eius, quam in loco paullino deprehendi, similis. Xenoph. Anab. I, 5, 5. *Οὐ γὰρ ἦν χόρτος, οὐδὲ ἄλλο δένδρον οὐδέν* — neque aliud quid, nominatim arbor. Xenoph. Cyr. 5, 3, 2. — *ἐξελόντες τοῖς θεοῖς τὰ νομιζόμενα καὶ τῇ ἄλλῃ στρατιᾷ τὰ ἱκανά*, ubi, ut doctiss. Popponis in edit. Cyrop. p. 186. *ἄλλῃ* exterminantis argumenta parum me moveant, facit aperta oppositio duarum praedae partium, duplici fine a cetera rapina separandarum, ut et diis sua portio seponatur [*τοῖς θεοῖς ἐξελόντες τὰ νομιζόμενα*], et ut seligatur aliquid alia de causa, nempe exercitui, quod more receptum sit: celerius contrahente Xenophonte *τῇ ἄλλῃ στρατιᾷ*, cum dicere proprie deberet *καὶ ἐξελόντες ἄλλῃ* [i. e. *ἄλλως*] *τῇ στρατιᾷ τὰ ἱκανά*. Quod *ἄλλῃ* in multis libris omissum est, id equidem librariorum elegantem voc. *ἄλλῃ* usum non assecutorum socordiae tribuerim. Itaque non plus habebit hic locus offensionis, quam ille apud Soph. Philoct. v. 38. *καὶ ταῦτά γ' ἄλλα θάλπεται ῥάκη*, ubi vid. Hermann. Plato Gorg. §. 64. *εὐδαιμονιζόμενος ὑπὸ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ἄλλων ξένων* — et ab aliis, qui fuerunt hospites [cf. Heindorf.]. Exempla plura dederunt Weiske de Pleonasm. s. v. *ἄλλος*.

Heindorf. ad Plat. Phaedon. §. 137. Boeckh. in Plat. Min. pg. 146. Stallbaum. ad Phileb. p. 107. Poppo ad Xen. Cyr. p. 186., rem ipsam verbo explicuit praestantiss. Hermannus in Adnot. ad Eurip. Medeam ab Elmsleio editam affixis Medeae Elmsleii p. 354. ed. Lips. Quemadmodum igitur in loco illo Platonis *καὶ τῶν ἄλλων ξένων* dictum est pro *καὶ τῶν ἄλλων, οἵτινες ἦσαν ξένοι*, sic in loco paullino *τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν* positum existimo pro *τὸ αὐτὸ, ὅ ἐστιν ἀντιμισθία* h. s.: *animum vestrum explicate ad eandem rem* [amorem], *qua continetur remuneratio;* quem eundem egregie expressit, ut probabiliter de v. *τὴν αὐτήν* nobiscum sentiret, Syrus ܦܘܪܥܘ ܣܘܟܠܟܘܢ ܕܐܝܬ ܠܟܘܢ ܘܦܫܘܛܘ ܣܘܟܠܟܘܢ ܠܘܬܝ * h. e. retribuite [quasi *ποιεῖτε ἀντιμισθίαν*] fenus meum, quod habetis [*τὸ αὐτὸ*], et extendite amorem vestrum ad me [*πλατύνθητε*]. Quid quod ad defendendam meam sententiam vel eiusmodi exempla e graecis scriptoribus proferre licet, ubi *ὁ αὐτός* in eadem Attractione occurrat? Xenoph. Cyneget. 3, 4. scriptor sita in externa forma canum in duo genera divisorum vitia persecutus pergit describere, quam diverso illi modo feras pervestigent, his verbis: *Εἰσὶ δὲ καὶ τῆς ἰχνεύσεως πολλοὶ τρόποι τῶν αὐτῶν κυνῶν*, quae sic debent explicari: *sunt vero in ferarum pervestigatione diversi iidem, qui sunt canes.* Ne cum Sturzio in Lexico Xenoph. sub v. *αὐτός αὐτὸς* ad singulare aliquod canum genus referas, impedimento sunt sequentia, ubi, quam varient in odorandis feris exponens scriptor omnes canes complectitur. Lucian. Timon §. 42. *τὸν αὐτὸν καὶ τάφον ἀποθανὼν ἕξειν μοι δοκῶ idem quoque sepulchrum mortuus videor mihi habiturus* concise dixit pro *eandem rem* [praedium] *ut*

sepulchrum. Quominus τὸν αὐτὸν ad praegressum Substantivum referendum esse ratus a v. τάφον divellas, impedit genus praecedentium Nominum ἐσχατιά et πυργίον. Thucyd. VI, 80. τῇ αὐτῇ ἀπουσίᾳ h. e. *eadem re, quod nempe officium deserueritis,* duplicem noxam intuleritis, ut et socios male destitueritis, et adversae partis homines malos fieri concesseritis. Thucyd. VI, 68. — οἵ πάρεσμεν εἰς τὸν αὐτὸν ἀγῶνα h. e. εἰς τὸ αὐτὸ, ὅς ἐστιν ἀγών h. s.: *non estis multis monendi, cum illud, quod adsumus ad unam rem, pugnam dico, omni adhortatione gravius sit.* Similem attractionem inveneris Lucian. Hermot. §. 63.: *Βίαιον δὲ λέγων ἐμὲ ἀναίτιον δοκεῖς μοι κατὰ τὸν ποιητὴν αἰτιᾶσθαι, αὐτὸν, ἔστ' ἂν μὴ ἕτερός σοι λόγος συμμαχήσας ἀφέληται τῆς βίας, ἤδη ἀγόμενον,* quem l. male illum intellectum ab interpretibus sic explicandum duco: Quod me violentum dicis, innocentem [ut est apud poetam] mihi culpare videris, *qui ipse a te crudeliter tracter,* donec *aliter, et quidem ratione,* te doceas non esse amplius adversus me iniurium. Coniecturis et malis receptorum verborum explicationibus ansam dedit, quod per passivum Lucianus dixit αὐτὸν ἀγόμενον h. e. qui ipse sis erga me violentus, priusquam idoneis rationibus hoc crimine te absolveris. Constructio eius, qui fretus loco πᾶσαν ἀποκέκλεικέ μοι τὴν θάλασσαν, qui, cum μοι ibi leviter sit ad *Verbum* adiectum, toto coelo discrepat, verba immenso spatio disiecta σοὶ τῆς βίας cohaerere voluit pro τῆς σῆς βίας, ne graeca quidem est, ut mihi infra alicubi clare videor demonstraturus. Sed revertor ad N. T., ubi I Corinth. 12, 11. πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα haud verecundor sic enarrare: *Ista omnia efficit unus idemque,* nempe spiritus

ut τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα P. contraxerit pro: π. δ. τ. ἐ. ἓν καὶ τὸ αὐτὸ, τὸ πνεῦμα λέγω. Quippe certum est, hoc velle Paulum: *omnes istae diversissimi generis* dotes proficiscuntur ab uno eodemque, qui est spiritus. Eadem vero attractio commode ab eo in subsidium vocabitur, qui 2 Petr. 3, 7. lectionem τῷ αὐτῷ λόγῳ aliquo modo explicare constituerit, h. r.: praesens coelum et terra *eadem re, nempe decreto* [divino, opinor. cf. v. 6.] igni sunt destinata.

Sed ut his uberius disputatis ad l. II Cor. 6, 13. denique redeam, facile, spero, intelligent V. D., meam supra expositam sententiam et bene multorum apud varios scriptores locorum similitudine niti, et eo aliquantum adiuvari, quod P. pro: *ad eandem rem, quae est remuneratio, animum extendite:* contracte dicens: *ad eandem remunerationem mentem explicate:* id est consecutus, ut huius ἀντιμισθίας notio hic praecipua valde emineret.

CAPUT VII.

Inest disquisitio praecipue locos II Cor. XII, 7. et II Cor. IV, 1 — 6. illustrans.

Animus nunc est, peculiarem de l. II Cor. 12, 7. inire disputationem, ubi σκόλοψ Paulo molestissimus multo fuit molestior interpretibus. Nam cum eiusmodi essent ab Apostolo usurpata verba,

unde eum malis tum oppressum fuisse facile quidem appareret, sed quibus immersus fuerit, non aeque intelligi posset, tanta excruciavit interpretes curiositas, ut, missis lubenter, quae haud exiguae sunt, in construendis verbis *ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ ἄγγελος σατᾶν ἵνα με κολαφίζῃ*, difficultatibus grammaticis, omni studio in perquirendum illum *σκόλοπα* versi neque morbum, qui usquam inveniretur, neque rem ullam, quae quidem mala esset, ita praetermitterent, quin Paulum ea affectum coniicerent. Quare nos quidem potissimo studio explicationi grammaticae adhibito *σκόλοπος* curam tanto facilius denique deponemus, quanto certius, quis fuerit, ex iis, qui statim subsequuntur, versibus definiri potest.

Paulus contra falsos doctores, quorum jam creverat Corinthi existimatio, res, in quibus nullus neque honor, neque meritum esset, ut magnam dicendi facultatem [XI, 6.], originem vere Judaicam [XI, 23.] aliaque pro virtute temere jactantes suam auctoritatem et defendendam et stabiliendam esse cernens, quo se nihil iis cedere ostenderet [XI, 5.], sic adortus eos fuerat, ut ipse, quamquam invitus [XI, 18. cf. XII, 11.], eorum more nonnulla, velut quod nullo exacto stipendio Corinthiis novam doctrinam tradiderit [XI, 7. cf. v. 12.], quod genus et ipse ad Abrahamum referat [XI, 21, 22.], *κατὰ σάρκα* primum glorietur. Sensim tamen per mentionem diligenter atque religiose administrati muneris [XI, 22. sqq.] ad perlatas in eo calamitates delapsus rectius aliquam in his gloriam poni deinde [XI, 30.] profitetur, tanquam eximiam hujus gloriae materiam statim afferens duram Damasci custodiam, e qua divino sustentatus auxilio evaserit [XI, 32, 33.]. Sed ne hanc quidem de exhaustis malis gloriam ul-

tra persecutus *) ad *ἀποκαλύψεις κυρίου*, velut dignissimum gloriationis argumentum transit [XII, 1.]

---

*) Non inutile fuerit, quo iis occurram, qui in pervestiganda Pauli inconstantia perspicaciores sint, ut, quod ille aliquam mentis ἀφροσύνην modo lubenter recipiat [XI, 1.], modo valde detrectet [XI, 16.], nunc se iactaturum aiat, nunc neget, prima specie decepti eo non possint non commoveri, disputationis paullinae per Cap. XI. et XII. rationem paucis verbis supra descriptam paulo hic uberius atque ita exponere, ut de nonnullis horum capitum locis meam mentem interponam. Paulus igitur, qui falsos doctores iam Cap. X. et propter nimios spiritus tectius notaverat [X, 12.] et eorum vanitatem eo repulerat, quod non, nisi quem dominus commendet, probatus sit [X, 18.], hac eos ratione inde a c. XI. aggreditur, ut sua illis opposita laude nihil se iis inferiorem ostendat. Quare petit primum de suis rebus sine fraude tractandi veniam eo, quod illorum more, qui, ut apud amicos de se dicendi potestatem facilius impetrent, sermonem ab aliqua sui vel vituperatione, vel obtrectatione ordiuntur, sibi ipse obtrectat, ut suam *temeritatem* aliquamdiu sustineant lectores orans. Quam quidem ironiam praeterea ipsius Apostoli, qui et suae virtutis praecones reprehenderat [X, 12.], et sibi aliud esse ingenium identidem [III, 1. V, 12.] contenderat, efflagitavit constantia. Sed ne ipsa quemquam praeterire possit, facit v. 16. Nam postquam v. 5. se cum malis doctoribus comparans τῇ γνώσει ab eorum nemine vinci et tradita Corinthiis sine stipendio doctrina Christiana id spectasse, ut ad aemulationem provocaret perversos homines, admodum in eos invectus [v. 13 — 15.], professus est, se non virum ἄφρονα habendum esse, diserte dicit h. v. v. 16. πάλιν λέγω, μή τίς με δόξῃ ἄφρονα εἶναι, ut vocc. πάλιν λέγω omnem de ironia v. 1. dubitationem auferant. Sin se nihilominus temerarium existiment, vel id se facile pati, cui nunc falsorum magistrorum more paululum gloriari sit constitutum [v. 16 — 18.]. Recte v. 16. Emmerl. εἰ δὲ μήγε, κἂν ὡς ἄφρονα δέξασθέ με, ἵνα κἀγὼ μικρόν τι καυχήσωμαι· voculam κἂν propterea designare ad extremum *saltem* adnotavit, quod concisior

expositaque una aliqua prorsus singulari ecstasi [XII, 2–4.], potissimum in hac, minorem in to-

---

oratio sic compleri debeat: δέξασθέ με, καὶ ἐὰν δέξησθέ με ὡς ἄφρονα. Quam ipsam rem nollem Wahlius in Cl. p. 454. verbo declarare omisisset, ut, quomodo κἂν *qua seneum*, *vel*, *modo* significare possit, statim appareret. Marc. 6, 56. — *καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα κἂν τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται* h. e. *ἵνα ἅψωνται αὐτοῦ, καὶ ἐὰν τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται· ut ipsum tangere, etiamsi vel fimbriam vestimenti tangere sibi liceret.* Act. 5, 15. — ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν breviu dictum est pro: *ut Petrus, si venisset, quosdam eorum tangeret, etiam si vel umbra eorum nonnullos opacaret.* Hunc l. recludere cupienti illud molestiam creat, quòd pro verbo ἐπισκιάζειν, quod ad solum alterum membrum κἂν κ. τ. ἑ. aptum est, ad prius ἵνα e sententiarum cohaerentia aliud substitui debet. Sed ab hoc quidem genere illa a Wahlio discernenda erant l., ubi καὶ cum verbo potius, quam cum ἐὰν cohaereat: Matth. 21, 21. — οὐ μόνον τὸ τῆς συκῆς ποιήσετε, ἀλλὰ κἂν τῷ ὄρει τούτῳ εἴπητε· ἄρθητι — γενήσεται h. e. — *sed etiam ratum erit, si hunc montem loco moveri iusseritis.* Marc. 5, 28. — ὅτι κἂν τῶν ἱματίων αὐτοῦ ἅψωμαι σωθήσομαι valetudinem etiam recuperabo, si eius vestes tetigero. Sic enim fert mos Graecorum; cf. Soph. Antig. v. 280. παῦσαι, πρὶν ὀργῆς κἀμὲ μεστῶσαι λέγων. Luc. Nigr. §. 38. Οὐκ αὐτοὶ μόνοι λυσσῶσιν, ἀλλὰ κἂν διαθῶσι, καὶ οὗτοι ἔκφρονες γίγνονται. Plat. Crit. §. 9. κἂν φαινώμεθα μὴ οὐ δέῃ ὑπολογίζεσθαι. Praeterea autem Wahlius hoc utrumque commode separasset locorum genus, quorum in altero κἂν adiectum verbum haberet [v. c. Act. 5, 15. κἂν ἐπισκιάσῃ] in altero autem illo careret, ut mente addendum sit [2 Cor. 11, 16. δέξασθέ με, κἂν scil. δέξησθε.]. Sed ne Pauli obliviscar, sic ille perficit indicatum v. 18. κατὰ σάρκα superbiendi consilium, ut laudata acerbe Corinthiorum in toleranda vanitate mira patientia [v. 19, 20.] se neque superari a pseudapostolis origine iudaica et legati christiani dignitate, et haud dubie iis antecellere in administrando apostoli munere fide et constantia affirmet. Quam ipsam rem exhaustis calamitatibus [v. 23.], iniuriis [v. 24.], periculis [v. 26. 27.] quotidianisque molestiis [v. 28. 29.] compro-

leratis calamitatibus, minimum ac paene nullum in rebus externis se quaerere dicit honorem [XII,

bans defertur v. 30. ad hanc sententiam: *si sit iactantiae indulgendum, de exantlatis se calamitatibus gloriaturum.* Sed v. 28. χωρὶς τῶν παρεκτὸς, ἡ ἐπισύστασίς μου ἡ καθ' ἡμέραν, ἡ μέριμνα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν! miror Winerum [in Gr. p. 139.] inchoata structura Paulum excidisse arbitratum. Nam plena post γυμνότητι distinctione posita in se absolutam efficit versus 28. sententiam hac sola re quodammodo ambiguam, quod re ipsa non adiectum verbum cogitatione addi debet, quamquam vocc. χωρὶς τῶν παρεκτὸς vel ὑπάρχει vel πρόσεστι, vel simile substituendum esse clare arguant h. s.: *praetermissis ceteris in censum venit quotidianus hominum in me impetus, cura omnium coetuum.* — Versu statim sequenti vix quisquam cum Emmerlingio faciat vocc. Τίς ἀσθενεῖ, καὶ οὐκ ἀσθενῶ; τίς σκανδαλίζεται, καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι; sic interpretato: *quem afflictum dicas, si me non dicas? quem calamitates oppetere, si me non iis premi, quin* (?) *uri, memores?* Etenim ut illud praeteream, sic σκανδαλίζειν insolito *vexandi* significatu accipi, hoc maxime illi enarrationi inimicum esse puto, quod et in altero membro ad v. ἀσθενῶ pronomen ἐγώ non adscriptum est: nam hoc quidem addito recte explicares: *quisnam est afflictus et ego non sum afflictus* h. e. ego optimo iure afflictus dicar: et in altero σκανδαλίζεσθαι a v. πυροῦσθαι vi sua haud dubie vincitur, cui quidem gradationi tum minime locus fuit, si hoc P. dicere constituerat: *quemnam vexari contendas, si me non sollicitari confiteare?* Nam sine ulla offensa repetito v. σκανδαλίζεσθαι sic scripserit Ap.: τίς σκανδαλίζεται, καὶ οὐκ ἐγὼ σκανδαλίζομαι; Quin explicat hic versus ingentem molestiam τῆς μερίμνης πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, ut bene habeat in malorum propter rem christianam susceptorum recensione sic descripto sensu: *ecquis usquam* [Chrysostomus: ἔλεγε τίς ἀσθενεῖ; δηλῶν, ὅτι ὅστις ἂν ᾖ.] *in fide infirmus est, quin ego moleste feram? ecquis ad peccandum abripitur, quin ego urar?* [Theodoret.: ἄλλων σκανδαλιζομένων ἐγὼ πυρπολοῦμαι καὶ καίομαι·] Eo autem nemo, qui Pauli ab ipso limine salutati orationem vel per transennam conspexerit, offendet, quod et verbo ἀσθενεῖν duplicem

5, 6.]. Ne tamen propter has praeclaras *ἀποκαλύψεις κυρίου*, quibus tantam vim tribuit, elatius

---

sensum subieci, et ubi iterum occurrit, id *aegre ferre* denotare contendi. Hunc enim significatum praeter arctum huius versus cum praecedenti [*ἡ μέριμνα* π. τ. ἐ.] nexum stabiliunt statim commemorata *τὰ τῆς ἀσθενείας μου*, quibus ad verbum ἀσθενῶ P. respexit. Sed ut expressae v. 30. de perlatis in suo munere calamitatibus potius, quam de rebus externis sese iactandi voluntati satisfieret, longae *τῶν ἀσθενειῶν* [v. 23sqq.] indici annectit v. 31—33. ingens Damasci periculum, de quo feliciter declinato sine pudore gloriari sibi liceat, quamquam XII, 1. ab hac quoque iactationis materia revocato animo potissimum in ἀποκαλύψεσι κυρίου, cuius praecipuum proponit exemplum v. 2—4., cerni affirmat honorem, ut, prorsus reiectis tanquam vanis externis rebus, quamquam has ipsas sine arrogantia crepare possit [v. 6.], secundo loco ipsas calamitates in laude sibi collocet [v. 5.]. Idque propterea, quod vexationes ad comprimendum fastum a domino immissas ideo deprecari nequiverit, quod suam vim in calamitatibus explendescere dominus sibi responderit, cuius Christi vocis memor magis etiam de immensa illa calamitatum mole glorietur 7. 10. Quibus quidem expositis, ita concludit hanc disputationem v. 11., ut Corinthios sibi falsos doctores summa iniuria [v. 12 sqq.] praeferentes commisisse ipsos declaret, ut iactandi vanitati paululum indulgeret. Iam loci continuitate sic constituta areaque magnam partem perpurgata illud praestandum relinquitur, primo, quid C. XII, 1., ubi codices in partes admodum diversas abeunt, pro genuino accipiendum sit. Ac mihi quidem re identidem penitata satis persuasum est, scripsisse Apostolum: *καυχᾶσθαι δὲ οὐ συμφέρει μοι· ἐλεύσομαι γὰρ* etc. Nam ut taceam, hanc scripturam in aliquot haud spernendae auctoritatis subsidiis servatam reperiri, haec duo maxime removent dubitationem, primo, quod, si hac pro fundamento utare, reliquarum lectionum originem persequi non est arduum, tum quod ipse sensus eam si non efflagitat, vehementer certe commendat. Posteaquam enim C. XI, 30. si *de se gloriari* omnino conducat, ab infirmitate sua gloriandi se petiturum

se gerat, cautum dicit immisso sibi *σκόλοπι* h. v.: *καὶ τῇ ὑπερβολῇ — — — κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπερ-*

μaterιem dixerat, iam, interpositis, quae imbecillitatem, qualis sit, explicent, apte perget: *sed gloriari* [*de se*; id enim e superioribus ducendum.] *tamen non convenit*: unde missa omni iactatione non de me meisve virtutibus, imo vero de eo homine, cui tot tamque insignes ἐπτασίαι contigere, gloriabor. Vides, oppositionem sic effici et fortem et aptam eius, quod iactare utile sit, et quod non sit utile. Reliquarum autem lectionum originem indagare iusso haud grave onus imposueris: modo largiaris, quod iam alii intellexisse videntur, δεῖ e c. XI, 30. forsan idcirco huc translatum, ut v. *οὐ συμφέρει μοι* illustrarentur, genuinum δὲ expulisse; alios vero, qui istud δεῖ quî explicarent, haud invenirent, sive plures voces [*εἰ καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφέρει μὲν*] partim e superioribus depromtas seu lenius vel soni parilitate invitante δὴ substituisse. Quodsi δὴ recentius unanimi paene consensu praelatum ab antiquitatis fide commendationem habere obtendas, ut quod iam *Patres Graeci* agnoscant: est illud quidem verum, sed vix eo valet, ut δὴ unice probare cunctari desinas. Quin antiquum hic subest vitium: postquam enim δὴ pullularat, certatim sperni coepit δὲ: a quo consilio vel id deterrere debebat, quod δὴ continuo rem certam poneret eam, quam v. *εἰ καυχᾶσθαι δεῖ* in medio se relicturum modo professus erat scriptor. Deinde vero per mihi mirum videtur, C. XII, v. 5. *ὑπὲρ τοῦ τοιούτου καυχήσομαι, ὑπὲρ δὲ ἐμαυτοῦ οὐ καυχήσομαι* V. D. hodie velut ex composito sic intelligere, ut *τοῦ τοιούτου* pro genere neutro habentes vertant: *De hac quidem re gloriabor* etc. At praeterquam quod sic ipsa oppositionis in v. *ὑπὲρ τοῦ τοιούτου* - *ἐμαυτοῦ* sitae vis valde obscuratur, praesertim cum praeclaram rem modo narratam *alii* accidisse antea dixerit, nunc coepto excidens negligeret, tum cohaerentia minus apta evadet [cum enim v. 1. suas quemque laudes canere haud convenire declarasset, sic debebat pergere: unde hoc vitato vitio de illo homine gloriabor, qui etc. h. e. non proprias laudes, imo quod divino beneficio evenit, singulare factum vobiscum communicabo], tum insigne loci acumen [neque enim amplius esset homi-

αἱρῶμαι. Verba priora *καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι* facilia sunt, ut nonnisi de particula *καὶ* paucis monendum esse videatur. Illam autem, credo minus apte fecisse, qui pro copula hic habuerunt [Stolz. Jasp.]. Nam cum his verbis ad v. 5. haud dubie P. respexerit, ubi, quae divinitus contigerant, *ὀπτασίας* in maiore se, quam cetera omnia, laude sibi ponere contenderat, nullus dubito, quin *καί*, ut saepe alias, [v. c. Luc. 11, 4. *καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν* nam *vel nos* (qui sumus in hominibus, qui difficilius delicta aliis condonare solent) quicunque nos laesit, veniam concedimus] rei graviori hic praepositum sit significans *vel* h. s.:

---

nem tanta re divinitus ornatum clare distingueret] plane peribit. Sed v. *τοῦ τοιούτου* genere Masculino virum designari omni dubitatione superius reddunt praegressa *ἄνθρωπον, τὸν τοιοῦτον* et *τὸν τοιοῦτον ἄνθρωπον.* Quamquam apertissima res Patres Graecos non latuerat; *Oecumen.* enim: *Βλέπετε αὐτοῦ τὸ ἄτυφον*, inquit, *πῶς ὡς περὶ ἑτέρου τινὸς αὐτὰ διηγεῖται· ὑπὲρ γὰρ τοῦ τοιούτου, φησὶ, καυχήσομαι.* Superest, ut paucis agam de v. 6. *Φείδομαι δὲ, μήτις εἰς ἐμὲ λογίσηται, ὑπὲρ ὃ βλέπει με ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ*, ubi cum pronomen *τι* vulgo lectum pauca subsidia repudient, Emmerling. praeposuit ille quidem recte obtemperans communi ferme V. D. iudicio vulgatam, sed, ut passim solet, rem disceptatu dignam ne verbo quidem exponere est dignatus; scilicet recte additum est, quia haec duo proferenda erant: *supra quod de me audit, si quid quando audit*, quod est minus definite dictum, sed fortius antecedit: *ὑπὲρ ὃ βλέπετέ με.* Quod autem post *ὑπὲρ ὃ* in altero membro insuper infertur *τι*, quo ipso fortasse offensi *τι* eiecerunt, est id linguae graecae utique conveniens, defenditurque, ut me contineam, v. c. similitudine locorum, quae post alios congessit Stallb. ad Plat. Euthyphr. p. 43., quibus addi ingens cumulus possit, ut Thucyd. VI, 91. *ὅπερ Ἀθηναῖοι μάλιστα ἀεὶ φοβοῦνται καὶ μόνου αὐτοῦ νομίζουσι τῶν ἐν τῷ πολέμῳ οὐ διαπεπειρᾶσθαι*

ne vel propter egregias illas revelationes ingentes spiritus sumam [Sic Schottus.]. Dicit enim hoc Paulus: *ut maxime istius modi* laudi sibi ducat revelationes [v. 5. ὑπὲρ τοῦ τοιούτου καυχήσομαι], ita tamen aversari deum animi insolentiam, ut immissis malis, ne vel propter has, quibus disertissima continerctur divini favoris significatio, animum extolleret, summa ope ipse caverit. Hanc explicationem praeter verborum καυχᾶσθαι [v. 5.] et ὑπεραίρεσθαι [v. 7.] rationem, quae hoc distare constat discrimine, ut illud *gloriari* h. e. sibi aliquid honori ducere denotans honesti viri esse possit, hoc *se efferre* significans non committatur, nisi ab homine temere inflato et ambitioso, ipsa quoque repetitio vocc. ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι commendat, qua esse propter hanc unam causam, ut fastus reprimeretur, in mala conjectum Paulum indicatur. — Sequitur locus perdifficilis non, ut interpretes opinati sunt, quod, quis sit σκόλοψ, parum explorari possit, sed quoniam, quo sint ordine deinceps consideranda vocabula ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ ἄγγελος σατᾶν ἵνα με κολαφίζῃ, non est diremtu proclive. Licet enim tres vias ingredi, quarum quae sit munitissima, nunc est dispiciendum. Et primum quidem, quod a Knappio factum video, posito post τῇ σαρκί Commate, in has duas sententias dissolvi verba possunt: *est palus corpori meo datus, ut Satanae angelus pugnis me caedat.* Sic ejus rei, quod sit corpori suo data sudes, hoc, vel consilium, vel effectum diceret scriptor, ut Satanae legatus colaphos sibi infringere soleat. Utrumque, ut sensus non sit malus, fieri potest. Nam si ἵνα consilii index est, dicitur praeacutus palus h. e. molestia admodum pungens Apostolo admotus, ut e consilio divino Satanae angelus Paulo eum inferret;

sin effectum [Ioa. 9, 2.] exprimit, calamitatem sibi inflictam sic se habere ait P., ut eam sibi addat Satanae legatus. Sed ut illud male huic explicationi opponas, non posse σκόλοπα hoc neque consilio, neque effectu Apostolo illatum esse, ut Satanae angelus colaphis eum male mulcet, quod aliud sit *sude premi*, aliud *pugnis lacerari* [duabus enim similitudinibus ad unam eandemque rem, atrocem puta calamitatem, *) significandam, ut saepius (v. infra), usus esset], illud tamen, ne alia, de quibus in utramque partem disputari possit, commemorem, maxime obstare arbitror, quod voculas ὥστε, πρὶν, ἵνα et similes post suum subjectum collocare neque Graecis liceat [cf. Reisig. Oed. Col. pg. 231.] neque id nostri facile commiserint. Male enim ad Ephes. 5, 33. provocaveris, ubi perperam conjungunt [Griesb. Kopp. Knapp.] ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα, cum vel contraria sententia, qua praeceptum continetur ad viros pertinens, post γυνὴ Comma esse locandum doceat, h. s.: *sed quod ad mulierem attinet* [ἡ δὲ γυνή], *eam volo revereri virum* [ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα.]. * Non melius Coloss. 4, 16. Griesb. Iasp. Knapp. al. v. καὶ τὴν ἐκ λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε arcte coniunxerunt. Quin collocata post λαοδικείας virgula sic explica: quod literas e Laodicea afferendas attinet, eas volo vos quoque legere: ita enim lex postulat oppositionis. *) Causa, cur subjectum illa verba praegredi nequeat, haec est, quod in membro, quod sit per conjunctionem cum altero nexum, subiecto, quod nonnisi primaria eius sententiae, in qua inveniatur, pars sit, manifesto potior est conjunctio, quae universam sententiam cum praecedentibus connectat.

*) Artemid. 3, 33. Ἄκανθαι καὶ σκόλοπες ὀδύνας σημαίνουσι διὰ τὸ ὀξὺ καὶ ἐμποδισμοὺς διὰ τὸ καθεκτικὸν καὶ φροντίδας καὶ λύπας διὰ τὸ τραχύ.

Altera, quam ingredi liceat, ratio haec est, ut sublato post τῇ σαρκὶ Commate eoque post ἄγγελος σατᾶν posito pro subiecto ἄγγελος σατᾶν, pro appositione habeas σκόλοψ τῇ σαρκὶ h. sententia: *datus est mihi, qui mihi colaphos ducat, Satanae angelus tamquam sudes carnis* h. e. *et est is corpori quasi acutus palus* i. e. molestissimus. Sic, ut eos praeteream, qui, an ita statuerint, aliqua resideat dubitatio [PP. gr.*) Vers. Ital.**) et Vulg. Ambrosiast. al.], Tertullianum explicuisse certum est *de pudic.* p. 1006: *datum sibi sudem angelum Satanae, a quo colaphizetur.* Haec interpretatio non spernenda est. Nam quemadmodum neque Dativus τῇ σαρκὶ cum substantivo σκόλοψ proxime copulatus quidquam molesti habet, cum eum illam rem exprimere constet, e qua additi Substantivi notio pendeat [*Bestimmung für*]***), σκόλοψ τῇ σαρκί sudes, quae

*) PP. graecos [Chrysost. Theodor. Oecumen.] inde coniicias ἄγγελος σατᾶν Subiecti loco habuisse, quod illi hunc solum, non aeque σκόλοπα interpretati sunt. Sed meliori iure id concludas ex his, Chrysostomi v.: — — οὕτω καὶ ἄγγελον σατᾶν {sc. καλεῖ] ἅπαντα τὸν ἀντιπίπτοντα. τοῦτο οὖν, φησὶν, ἐδόθη μοι σκόλοψ, ἵνα με κολαφίζῃ, οὐχ ὡς τοῦ θεοῦ τοὺς τοιούτους ὁπλίζοντος – ἀλλὰ συγχωροῦντος καὶ ἀφίεντος τέως. haec res [hi adversarii] mihi data est tanquam σκόλοψ.

**) Versionem *Italae*, quam multi deinde PP. latini verbotenus libris suis inseruerunt: *datus est mihi stimulus carnis angelus Satanae, ut me colaphizet.* vel uno post *carnis* addito Commate in aliam sententiam deflectas.

***) Exempla huius Dativi dederunt Matthiae *Ausf. Gr.* Gr. p. 527. 3. Seidler. ad Iphig. Taur. V. 174. Poppo ad Thucyd. I. p. 125. [E. N. T. conferre licet I Cor. 1, 23. ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν χριστὸν ἐσταυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν

pertinet ad corpus, quatenus nempe id premit, ita ne in hoc quidem quisquam offendet, quod appo-

---

σκάνδαλον, ἔθνεσι δὲ μωρίαν, ubi Dativos melius cum v. *σκάνδαλον* et *μωρίαν* (doctrinam christianam annuntiamus ut rem, quae Iudaeos offendat, gentilibus stulta videatur), quam cum verbo *κηρύσσομεν* coniungas.] Sed quibus Kuinoelius ad Marc. 2, 18. et Winerus in Gr. p. 65. Dativum loco Genitivi cum Substantivis coniungi demonstratum iverunt, ea sunt omnia alienissima. Nam locus Luc. VII, 12. *ἐξεκομίζετο τεθνηκὼς, υἱὸς μονογενὴς τῇ μητρὶ αὐτοῦ* non est, nisi speciosus aliquo modo; vere enim Dativus *τῇ μητρὶ αὐτοῦ* non a Nomine *υἱὸς* suspensus est: *filius matris suae:* sed a *μονογενής*, quod potestate passiva instructum hanc ad reliqua vim habet: *filius, qui fuit unus suae matri* [h. e. a sua matre] *natus.* I Chron. 3, 1. *καὶ οὗτοι ἦσαν υἱοὶ Δαυὶδ οἱ τεχθέντες αὐτῷ ἐν χεβρῶν· ὁ πρωτότοκος Ἀμνὼν τῇ Ἀχιναὰμ τῇ Ἰεζραηλίτιδι· ὁ δεύτερος Δαμνιὴλ τῇ Ἀβιγαίᾳ τῇ Καρμηλίᾳ* Dativi *τῇ Ἀχιναὰμ* et *τῇ Ἀβιγαίᾳ* pendent a v. *οἱ τεχθέντες*, ita quidem, ut dici etiam potuerit: *ὑπὸ τῆς Ἀχιναάμ κ. τ. λ.* *hi sunt filii Davidis Hebrone* ei nati; *natu maximus Amnon ab Achinaam*, scil., quod e v. *οἱ τεχθέντες* repetendum est, *αὐτῷ τεχθεὶς, ei in lucem editus.* Idem de verbis hebraicis valet, ut pariter ibi ad נוֹלַד לוֹ et ante לַאֲחִינֹעַם et ante לַאֲבִיגַיִל cogitando recurrere debeas h. s.: *primus Amnon ei natus est ex Achinaam* etc. Sirac. 4, 11. *ἡ σοφία υἱοὺς ἑαυτῇ ἀνύψωσε* manifesto non cum v. *υἱούς* [suos liberos], sed cum verbo *ἀνύψωσε* cohaeret h. s.: sapientia filios *sibi educare* solet: cui sensui favent sequentia: *καὶ ἐπιλαμβάνεται τῶν ζητούντων αὐτήν. qui eam quaerunt, eos suscipit* h. e. qui nondum sint filii, eos filios quasi adoptat. Sequuntur nunc ea e profanis allata scriptoribus loca, quae accepta a Kuinoelio Winerus exemplis celeb. Matthiae l. l. addi voluit. Quasi vero Herodot. 6, 103. *ὁ μὲν δὴ πρεσβύτερος τῶν παίδων τῷ Κίμωνι, Στησαγόρης, ἦν τηνικαῦτα παρὰ τῷ πάτρῳ Μιλτιάδῃ τρεφόμενος ἐν τῇ Χερσονήσῳ* non ipse Matthiae [in nota illic subiecta] adscripserit ac melius, quam

sitio σκόλοψ τῇ σαρκί iis est praeposita vocabulis,

Winerus, qui collocatione Dativi τῷ Κίμωνι deceptus v. τῶν παίδων τῷ Κίμωνι consociavit, explicuerit, τῷ Κίμωνι cum verbo ἦν τρεφόμενος cohaerere recte monens h. s.: *natu major* [ut sequentia docent, *Cimonis*] *filius Stesagoras apud patruum Miltiadem tum educabatur Cimoni* h. e. ut id ad Cimonem pertineret. Haec est consueta vis Dativi v. c. Hom. Il. δ. 24. Ἥρῃ δ' οὐκ ἔχαδε στῆθος χόλον. Sed Eurip. Iphig. A. v. 603. σὺ δ', ὦ τέκνον, μοι λεῖπε πωλικοὺς ὄχους· Dativum μοι non cum τέκνον, ut τέκνον μοι pro τέκνον μου dictum accipias, sed cum v. λεῖπε copulandum esse [σὺ δ', ὦ τέκνον, μοι λεῖπε κ. τ. λ. *tu, filia, mihi relinque equestrem currum*] ipse Matthiae in Notis ad Eurip. T. VII. p. 359. clare docere poterat. Similiter Marc. 2, 18. — οἱ δὲ σοὶ μαθηταὶ οὐ νηστεύουσι; σοὶ pro Dativo habuerunt Kuinoelius atque Winerus, cum haud dubie sit Pluralis Pronominis σὸς, σὴ, σόν. Non enim puto graece dici potuisse τέκνον μοι *filia mea*, μαθηταί σοι *tui discipuli*, quemadmodum nec Latini v. c. *mihi pater me erudivit* pro *meus pater me erudivit* dixerint. Nam cum in eiusmodi formulis, si rem accurate spectaveris, Dativus nihil, nisi esse tibi aliquem v. c. *patris loco constitutum* indicare possit, apparet, qui *mihi pater* pro *meus pater* dixerit, eum, quod exprimere voluerit, *esse aliquem suum, tanquam patrem*, non declaraturum, quod significare noluerit, *esse aliquem velut patrem sibi destinatum*, indicaturum fuisse. Unde facile intelligitur, qui illo modo loquatur, eum nec simpliciter satis et minus definite loqui, ut, quid sibi velit, vix sub cuiusquam cogitationem cadat, nec ullus vel auditor, vel lector *mihi patrem* pro *meum patrem* accipiat. Quod quidem iam pridem V. D. intellexisse videntur, qui istiusmodi Dativos, sicubi e codicibus in impressas editiones proclivi ad aberrandum via [cf. Lucian. Tim. §. 1. τό σου (un. σοι) ὅπλον. ib. §. 4. σοῦ (un. σοι) τὸν νεὼν σεσυλήκασιν.] irrepsissent, sic correxerunt omnes, ut Genitivos reciperent. Sic Soph. Phil. v. 432. qui σοί πατρός [tui patris] coniunxerunt, Brunckius et Erfurdtius, uno ore reposuerunt σοῦ πατρός, quippe illud soloecum rati; et Aristoph. Av. v. 159. rescripsit doctiss. G. Dindorfius e Codice Ravennate καλῶς γ' ὁ

ad quae sit adiecta. Licet enim, ut exemplis os-

μου τὸν υἱὸν, ὦ Στιλβωνίδη, εὑρὼν ἀπιόντ' ἀπὸ γυμνασίου λελουμένον οὐκ ἔκυσας κ. τ. ἑ. pro vulgata γέ μοι. Pariter Lucian. Somn. §. 10. Hemsterhusius τὴν ψυχὴν, ὅπερ σοῦ κυριώτατόν ἐστι, κατακοσμήσω scribendam pronuntiavit. Quare nescio, quid egerit, qui Lucian. Necyom. §. 21. ὁ δὲ γελάσας, ὦ τέκνον, φησὶ, τὴν μὲν αἰτίαν οἶδά σου τῆς ἀπορίας κ. τ. λ. de lectione σοι sic iudicavit: *defendi poterat.* Nec sane vereor, ne quis desperatius hac aetate ad *figuram Colophoniam*, commodum socordiae praesidium, confugiens, ut ubique, ita etiam in nostra causa Dativum Genitivi vicem recte sustinere sibi persuadeat. Nam quae res rationis praeceptis repugnat, ea neque figurae Colophoniae, [quam superincubans fovit; v. c. Zeunius ad Xenoph. Oecon. XVII, 7., explosus ille a Kustero ad illum l.], neque Enallages cuiusdam speciosis nominibus sustentari potest. Sed non alienum fuerit, de figura Colophonia statim addere summi Hermanni iudicium, qui, cum, Brunckius impeditum Sophoclis l. Antig. v. 852. ἔψαυσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας, πατρὶ τριπόλιστον οἶκον, τοῦ τε πρόπαντος ἁμετέρου πότμου κλεινοῖς Λαβδακίδαισιν sic expedire voluisset, ut Dativo schema Colophonium obtenderet, ille vir [in Mus. ant. St. Vol. I. p. 126 sqq.] sic dicit: *accedit in Sophoclis loco iactatum a Brunckio schema Colophonium, non dissimile inventum, ut casus absoluti* [itaque perfugium, quod petant, qui, quomodo rem expediant, non inveniunt], *quod schema hic quidem perineptum est.* Atqui eadem plane est ratio coniunctionis πατήρ τινι ac πότμος τινί, ut everso altero ne alterum quidem stare possit diutius. — Restat unus Demosthenis p. 1318. 16. ed. Reisk. l. τὸ τελευταῖον προκρίναντές μ' ἐψηφίσαντο ἐν τοῖς εὐγενεστάτοις κληροῦσθαι τῆς ἱερωσύνης τῷ Ἡρακλεῖ, ubi Dativus τῷ Ἡρακλεῖ pendet ille quidem a Substantivo τῆς ἱερωσύνης, sed alio modo, quam Winerus putavit. Nam cum ἱερωσύνης notio Dativum acquirat, quoniam hoc significat munus, quo ὑπηρετεύεις ministras s. ἱερεύεις *rem divinam facis numini*, in promtu est, τὴν ἱερωσύνην τῷ Ἡρακλεῖ [*sacerdotium, quo Herculi sis minister*] eo modo esse dictam, quo sexcenta alia apud veteres. Sic, ut pauca de multis delibem, occurrit II Cor.

tendi potest*), appositionem sic praemittere, quibus dilucidandis inservit, vocabulis, ut proxime ea praecedere soleat. Unde apparet, si, ut supra nos vertendo indicavimus, *τῇ σαρκί* a v. *σκόλοψ* suspendatur, nihil obstare, quominus *σκόλοψ τῇ σαρκί* appositionis, *ἄγγελος σατᾶν* subiecti sit loco; sin quis cohaerere putaverit *μοι τῇ σαρκί* [h. m.: *datus est mihi palus et quidem corpori angelus Satanae*], de qua ratione mox disseram, non posse illam interpretationem recte a quoquam probari. Neque causa, cur appositio subiecto praeposita interiectis vocabulis ab eo admodum raro [vide tamen, quae habet Poppo ad Thucyd. T. I. p. 299.] possit divelli, magnis est obducta tenebris. Nam si eam subiecto vel praepositam, vel postpositam aliis

---

9, 12. διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν τῷ θεῷ· Sallust. Cat. XXXII. *insidiae Consuli*: Thucyd. I, 122. ἐπιτειχισμὸς τῇ χώρᾳ. Ceterum de hoc Dativo pluribus tractaverunt praeter alios Fischerus ad Plat. Apolog. Socrat. §. 18. ad Euthyphr. 17. ad Phaed. 38.; summus Hermannus ad Sophocl. Antig. v. 717. Porsonus ad Eur. Phoeniss. v. 87. Stallbaum. ad Plat. Phileb. p. 30.

*) Ne notam rem exemplorum farragine impediam, defungar paucis. Tit. I, 3. ἐν κηρύγματι ὃ ἐπιστεύθην ἐγὼ κατ' ἐπιταγὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ i. e. e voluntate *dei, qui est noster* servator. Sed v. statim 4. appositio nomen sequitur — κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. 2 Petr. 1, 11. — ἡ εἴσοδος εἰς τὴν αἰώνιον βασιλείαν τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ibid. v. 1. — καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Sed contra fit v. 2. — καὶ Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν. Sallust. Iug. 73. populus *a tribuno plebis Manilio* rogatus. Eurip. Iphig. A. v. 1327. πονηρὸν εἶπας οἰωνὸν λόγον h. e. dixisti vocem, in qua continetur malum augurium. Lucian. Somn. §. 18. — ἱκανὸν ἑαυτῷ παράδειγμα ἐμὲ προστησάμενος h. e. *me* sibi proponens, *tanquam idoneum exemplum.* Ceterum universas appositionis rationes ita debebat in Grammatica explicare Winerus, ut, quae observanda viderentur, ad unum omnia revocaret locum.

verbis ab eo seiungi ubique liceret, nulla certa nota, cuius sit vērbi appositio, interdum cognosceres, ut quam ab eo seiunctam videres vocabulo, cum quo fuit coniungenda. Denique illud quoque commoditatis haec habet interpretatio, quod ea inita v. 7. *κολαφίζῃ* et v. 8. *ἵνα ἀποστῇ ἀπ᾽ ἐμοῦ*, quod e tertia, quam modo allaturus sum, sententia, cum *σκόλοψ* coniunctum prima specie aliquid duri habere videtur, Satanae angelo, ut personae, tribui recte potest. Nihilominus tamen, qui accuratius eam consideraverit, plura ei inimica esse confitebitur. Nam ut appositio prius collocata, quam verba, quorum sit appositio, exemplis non destituatur, hoc tamen et multo fit rarius, et minus simplex est, quam contrarium, ut post illa locetur. Quare ne *σκόλοψ τῇ σαρκί* tanquam appositio verba *ἄγγελος σατᾶν* praegrediens illam explicationem evertat, hac tamen re eam parum commendari certum est. Deinde hoc quemque, cui quidem simplicia placeant, concedere oportebit, minus commode dici *ἐδόθη ἄγγελος σατᾶν* hoc, inquam, sensu, quo hic accipi deberet. Nam cum *διδόναι* sive de re, sive de persona usurpatum [*διδόναι τινί τινα* s. *τι*] non significet, nisi tradere aliquem [aliquid] *alicui* h. e. *in potestatem alicuius*, apparet offensam habere, si hic Satanae legatum Paulo traditum legamus, qui tamen adeo non fuerit in apostoli manu, ut propter plagas, quas ipse Paulo imposuerit, hunc potius illi subiectum fuisse in promtu sit; nisi fortasse philosophando quis abreptus idem esse dicet *ἐδόθη μοι ἄγγελος σατᾶν*, quod *ἐδόθην ἐγὼ ἀγγέλῳ σατᾶν*: nam cum utraque, inquit, orationis conformatione, sive P. Satanae legato, sive is illi traditus dicatur, *Apostoli cum mali daemonis angelo aeque indicetur coniunctio*, pro *ἐδόθην ἐγὼ ἀγγέλῳ σατᾶν* recte scriptum est *ἐδόθη*

μοι ἄγγελος σατᾶν. At enim, quam poetis propter *summam illam*, qua furore divino perciti utuntur, *cogitandi celeritatem* lubenter concedo notionum perturbationem, eius vero clara apud Paulum exempla requiro *). Superest, ut, quod

---

*) Frustra l. Rom. 6, 17. obiicias, cum multis interpretibus v. c. Schmidio [olim Vitembergensi], Koppio, Boehmio al. Paulum — ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς! scripsisse ratus pro ὑπηκ. δ. ἐ κ. εἰς τύπον διδαχῆς, ὃς παρεδόθη ὑμῖν, h. e. *obtemperastis ei institutionis formae, quae vobis tradita est.* Nam destinato consilio illam rationem P. praetulit, hoc indicaturus, *Romanos ei se submisisse disciplinae, cui* [divinitus] *subiecti parere debeant.* Quocirca nemo, opinor, dubitabit, quin verba sic resolvere debeat: ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας τῷ τύπῳ διδαχῆς, εἰς ὃν παρεδόθητε. — *sed obedivistis ei doctrinae rationi, cui* [tanquam domino vitae legem ferenti] *subditi estis.* Neque haec explicatio omnes fefellit interpretes, ut quam olim *Oecumenius*, nuper *Iaspisius* commendaverint. Ille enim: Εἶτα ἐπειδὴ εἶπεν, inquit, αὐθαίρετον αὐτῶν εἶναι τὴν προθυμίαν, λοιπὸν λέγει καὶ τὴν τοῦ θεοῦ βοήθειαν· ὑμεῖς μὲν γάρ, φησίν, ἑκόντες ὑπηκούσατε, ὁ δὲ θεὸς ὑμᾶς εἰς τὸν τύπον τοῦτον τῆς διδαχῆς παρέδωκε. Iaspisius autem in subiecta translationi suae nota sic illustravit illa verba: Τύπος διδαχῆς, — *doctrina ipsa, cuius manuductioni traditus sum,* εἰς ὃν παρεδόθην, — *quam edoctus sum.* Sed qui pro illa haud temere, credo, a nobis reiecta interpretatione propugnare animum induxerit, is melius magnam in cogitando festinationem appellaverit, quam cum supra dictis interpretibus societatem iniverit. Hi enim suscepta verbi παραδιδόναι *docendi* potestate εἰν ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς eo modo scripsisse Paulum opinati sunt, quo dixit v. c. I Cor. 9, 17. *οἰκονομίαν πεπίστευμαι* [cf. Matthiae *ausf. gr. Gr.* p. 579. Winer. Gr. p. 83.], ignari, sic non εἰς ὃν παρεδ. τ. δ., sed ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς dicendum fuisse. At istiusmodi notionum perturbationem quaesivi ipse aliquando Rom. 15, 19. ὥστε με ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ, μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκέναι τὸ

ego maximum eius, de qua loquor, interpretationis

εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ· cum Paulum se ab Hierosolymis *usque ad Illyricum doctrinam divinam implevisse* affirmasse putarem, qui tamen hoc voluerit: *se tantum terrae spatium* **Christi doctrina complevisse** [ὥστε με ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ, μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πάντα πεπληρωκέναι τοῦ εὐαγγελίου τ. χρ.]. At hac quidem sententia non magis opus est, quam illorum ambage, qui, ut *docendi*, qui unice huc quadrare videretur, significatum lucrarentur, ad similitudinem vocc. chaldaici גְּמַר, quod cum *absolvere*, tum *discere* et in transitiva Coniugatione *docere* designat [cf. Buxtorf. Lex. talm. s. v. גְּמַר], πληροῦν utramque potestatem complecti existimarunt. Enimvero πληροῦν τὸ εὐαγγέλιον s. τὸν λόγον τοῦ θεοῦ [Coloss. I, 25.] sua natura *complere evangelium* h. e. *perficere* [nempe *eo*, *quod illud doceas; id enim* e nexu repetendum est] intelligitur significare posse, quod plus est, quam *docere evangelium*. Etenim significat *institutionem ad finem perducere*. Itaque P. Rom. 15, 19. se ab Hierosolymis usque ad Illyricum evangelium confecisse h. e. eius institutionem absolvisse et Coloss. I, 25. id mandatum habere sit, ut illam absolvat. Sic πληροῦν τὸν νόμον Matth. 5, 17. complere legem, eo nempe, quod ei satisfacias h. e. exacte legem observare declarat, cui dictioni affines sunt Act. 12, 25 πληροῦν τὴν διακονίαν. Act. 14, 26. πληροῦν τὸ ἔργον· aliae, quae quidem qua nostrae [πληροῦν τὸ εὐαγγέλιον] re dissimiles sint, difficulter Koppius invenerit. Qui autem illud Ciceronis Offic. I, 31.: *Ut enim sermone eo debemus uti, qui natus est nobis:* quod dictum sit pro *in quo nos nati sumus*, afferat, is perpendat, utroque modo Ciceronem loqui potuisse, cum et *sermo, in quo natus sis* et *qui tibi* h. e. *tecum natus sit*, nativus sit sermo, quamquam id Ciceronem praetulisse putaverim, quod *sermonem naturalem, non acquisitum* ipsum potius exprimat, quam, ut alterum, *in quo nati sumus*, ex se colligi iubeat. Idem valet de Xenoph. Oecon. 3, 14. ubi Leonclavii pro συστήσω δέ σοι ἐγὼ καὶ Ἀσπασίαν coniicientis συστήσω δέ σε καὶ Ἀσπασίᾳ sententia eo reiicitur a Kustero, quod eodem iure: *ego tibi Aspasiam magistram commendabo*, quam: *ego te Aspasiae commendabo* dici potest.

impedimentum esse existimo, verbo exponam. Credo enim v. *σκόλοψ τῇ σαρκί* sano sensu consociari ab Apostolo non potuisse. Nam cum qui *σκόλοπα* addito vocabulo *τῇ σαρκί* accuratius definiat, quoniam corpori opposita est mens, palam se dicere, quae *corpori* non *animo* molesta sit, profiteatur, manifestum est, supervacaneā, quin inepta esse vocc. *τῇ σαρκί*, quoniam non potest palus, quicunque sit, nisi corpori molestiam facessere, ut, quae mentem laceret, ne cogitari quidem possit, sudes.

Quae cum ita sint, haberemus sane, quod hunc locum deploraremus, nisi plus esset in tertia sententia a recentissimorum interpretum plerisque [v. c. Schulz. Griesb. Iasp. Schott. Emmerl. al.] inita quidem, sed a nemine accuratius exposita, opis atque auxilii. Potest enim collocato post *σαρκί* et *σατᾶν* commate verbo *σκόλοψ* subiecti, vocabulis *ἄγγελος σατᾶν* appositionis tribui potestas. Sed primum *τῇ σαρκί* quonam referri oporteat, venit in quaestionem. Nam v. *σκόλοψ τῇ σαρκί* per sensum coniungi recte posse modo negavimus. Quare *τῇ σαρκί* ad *μοί* pertineat necesse est. Neque habet eiusmodi Dativus quicquam vel inusitati vel miri, quippe qui latius patens vocabulum, quod praecessit, accuratius definiat. Luculenta huius rei exempla haec sunt: Hom. Il. *Λ*. 11. *Ἀχαιοῖσιν δὴ μέγα σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ καρδίῃ* — immisit *cuique* et quidem *animo*. Theognid. v. 421. *πολλοῖς ἀνθρώποις γλώσσῃ θύραι οὐκ ἐπίκεινται* — multis hominibus, et quidem eorum linguae. Soph. Oed. Col. v. 729. *ἥκε μοι γένει*, ubi vid. Reisigium in *Enarratione*. Thucyd. 8, 4. *αὐτοῖς — ταῖς σιταγωγοῖς ναυσίν*. [Alia vide apud Lobeckium ad Soph. Ai. ad v. 308. Reisigium ad Soph. Oed. Col. ad v.

517. Commentat. crit. p. 266. et Matthiae ad Eur. Phoeniss. ad v. 1517.] Apoc. 2, 23. καὶ δώσω ὑμῖν ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα ὑμῶν agam *vobiscum* et quidem *cum quoque vestrum* ad factorum normam. Sic h. l. ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί hoc vult: datus est *mihi* et *quidem corpori.* Fallatur, si quis reprehensam illam in priori explicatione oppositionem corporis ad mentem, ubi huic nullae sint partes, vel sic evitatam negaverit, quasi hic tamen maneat sensus: *datus est meo corpori, non animo.* Nam praeterquam quod is oppositam sententiam male intellexerit, cum τῇ σαρκί ad verbum ἐδόθη relatum vocabulis ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι sit potius contrarium sana profecto sententia hac: ne ego *mente* intumescerem, datus mihi est *corpus urgens* palus: hoc quoque oscitanter ille neglexerit, eiusmodi Dativos, cuiusmodi est τῇ σαρκὶ, sententias contrarias non adeo fortiter distinguere, ut qui diligentius definiendo prius posito vocabulo inserviant. Id ex hoc intelligi volo Theognidis loco: πολλοῖς ἀνθρώποις γλώσσῃ θύραι οὐκ ἐπίκεινται *multis hominibus* nempe *eorum ori* nullae sunt obiectae fores. Male, quid γλώσσῃ poeta opposuerit, hic quaesiveris; faciens enim γλώσσῃ ad definiendam vocem ἀνθρώποις perspicuitatem auget, ut illo, quae hominum pars non sit clausa foribus, tantum declaretur.

Pergimus ad reddendam verborum ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ rationem, ubi duo praestari oportet. Nam non solum in v. ἄγγελος σατᾶν appositionem recte quaeri demonstrandum, sed etiam vocc. ἵνα με κολαφίζῃ quam non repugnent laude prius ab nobis celebratae, quam argumentis firmatae explicationi, enucleandum est. Potuisse autem a P. σκόλοπα per adiectas voces ἄγγελος σατᾶν accuratius constitui, quemcunque concedere

oportebit, qui Satanam pro rei cuiusque vel ingratae*), vel calamitosae haud dubio auctore habitum a Iudaeis reputaverit, ut, etiamsi, quas per σκόλοπα innuerit P. miserias, nos praeteriret, merito tamen dictus sit ἄγγελος σατᾶν, quoniam, nisi a Satana, proficisci a nemine potuisset. At enim, dicet aliquis, quoniam in solo malo daemone σκόλοπος pessime Paulum habentis sita esse potuit origo, fri-

---

*) Satanam non solum vitiositatis, sed etiam rei cuiusque molestae haud dubium auctorem in N. T. proponi, multi iam recte observarunt. Itaque inhonesta suppeditat consilia [Luc. 22, 2. Act. 5, 3.], Veneris impotentiam accendit [I Cor. 7, 5. cf. Eisenmenger *Entd. Iudenth.* T. II. p. 464.], salutaribus Messiae consiliis omni modo renititur [Matth. 4, 1. Marc. 4, 15. I Thess. 2, 17. al.]. Sed rerum ingratarum nullam saepius admovisse hominibus dicitur in N. T., quam morbos, qui propter id ipsum non, nisi exterminato eius satellite, depelli posse videbantur [Matth. 7, 22.]. Plurimorum autem criminum reus agitur a posterioris temporis Rabbinis. Hi enim, ut in ipso mysteriorum rabbinicorum limine me contineam, praeter alia id quoque sapientiae consecuti sunt, ut Sammaëlem missis ministris et noctu proficiscentes in devia loca coniicere [Eisenmenger. l. l. p. 434.], et ab hominibus extra terram sanctam constitutis vitam repetere [Eisenm. T. I. p. 854.], pessime autem in feminas ipsum promeritum scirent, ut quibus aeternam sui cum Eva olim commixti taetri corporis memoriam *menstrua* reliquerit. Id apparet e l. Maor hakkaton f. 59.: מיום שבא נחש עלחוה והטיל בה זוהמא מאז מקור נפתח לחטאת לנדה ולזבה: Quamquam non mirum est, qui pravitatis unus sustinuit culpam, in eundem cuiuscunque in vita molestiae crimen coniectum esse. Tale enim est hominum ingenium, ut rebus gravibus, quoniam premunt sensus, cum malis atque pravis ita confusis, ut illas non magis malas dictitent, ille peropportunus videatur utriusque auctor, qui, ut quondam Sammaël, unam primo vitiositatem et in mundum introduxisse et perpetuo alere credatur.

get appositio ἄγγελος σατᾶν, quippe quae illud declaret, quod suapte sponte quisque intellexisset. Neque haberem, quod, si, quis sit dictus σκόλοψ, non constaret [v. infra], huic opponerem, nisi idoneam fortasse in ipsis per σκόλοπα indicatis calamitatibus, sed nunc non minus, quam illas, obscuram, cur ἄγγελος σατᾶν adiiceret, positam esse causam. Sed cum per σκόλοπα dicta esse *quaecunque in munere apostolico perferenda mala* liquido confirmare liceat [v. infra], apertum est, recte, ut novam notionem afferant, P. apponere ad vocem σκόλοψ vocabula ἄγγελος σατᾶν, ut quibus praesentia sua apostoli mala ab internecino rei christianae hoste originem trahere indicet. Ceterum qui ἄγγελον σατᾶν *Satanam, angelum*, quam *Satanae angelum* interpretari maluerunt, ii non reputarunt, sic neminem relinqui, qui ablegare Satanam potuerit. Nam a deo quidem is mitti nequivit, qui e nostrorum scriptorum theologia ita rebus malis praepositus sit, ut penes eum et summum et unicum earum imperium sit.

Ultimum est, ut de v. ἵνα με κολαφίζῃ pauca disputem. Haec autem, erit fortasse, qui ad v. σκόλοψ, quod unum ex illa, quam nunc expono, interpretatione in sententia subiectum est, iure referri neget, quod palus *colaphos infringere* nequeat. Quod ut primo obtutu speciose aliquis obiecerit, inde tamen ἐδόθη σκόλοψ, ἵνα με κολαφίζῃ haud immerito coniungi intelligas, quod, qui celerius cogitant scriptores, ut ipse P., non solum tralationes repente variant, ut diversissimas adeo ad unam notionem fortiter enuntiandam iuxta se ponant [I Cor. 3, 9. θεοῦ γεώργιον, θεοῦ οἰκοδομή ἐστε utraque metaphora Corinthios eiusmodi esse quasi materiam declarat, in qua excolenda positum sit ministrorum div. (cf. v. θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί.)

munus. I Cor. 4, 8. ἤδη κεκορεσμένοι ἐστὲ, ἤδη ἐπλουτήσατε, χωρὶς ἡμῶν ἐβασιλεύσατε triplici tralatione eosdem sine sua ope ad felicitatis summam escendisse, sibi videri P. innuit. Cf. etiam Ephes. 3, 18. ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι.], sed etiam duas in unam male coniungant [cf. Dissert. I. p. 48.], ut verbum alteri aptum ad alteram, cui non sit accommodatum, adiiciant. Sic P. Coloss. 3, 12. iubet lectores *induere viscera misericordiae* [ἐνδύσασθε οὖν σπλάγχνα οἰκτιρμοῦ] sensus, quem ex se fundunt vocc. σπλάγχνα οἰκτιρμοῦ h. e. *benignitatis,* magis memor, quam verborum ipsorum. Nam si similitudinem tenere maluisset Ap., omisso v. ἐνδύσασθαι, quod, quoniam *viscera non potes induere*, ad σπλάγχνα οἰκτιρμοῦ parum est aptum, usurpasset aptius v. c. *in vos recipite* εἰς ὑμᾶς ἐπιδέξασθε. Id ipsum hic obtinere arbitror, ut, cum ἄγγελος σατᾶν, non σκόλοψ κολαφίζειν proprie possit, id ipsum tamen facere perhibeatur, quoniam Apostolus, quae duae animo obversantur, tralationes: *palus ferit*, et: *Satanae angelus pugno percutit:* commiscet h. m.: *velut Satanae legatus mihi est datus palus, qui me colaphis tundat:* quod aliunde etiam h. l. excusationem habet. Poterat enim tanto facilius eo, ut et σκόλοπα κολαφίζειν contenderet v. 7. et ut *recedere* eum *a se tanquam personam* iuberet [v. 8. τρὶς τὸν κύριον παρεκάλεσα, ἵνα ἀποστῇ ἀπ' ἐμοῦ] a Christo precaretur v. 8., hic P. delabi, quanto magis σκόλοψ eo, quod ἄγγελος σατᾶν simul appellatus est, personae formam induit, nisi ipsa soni propinquitas, quae inter v. σκόλοψ et κολαφίζῃ intercedit, ut ita loqueretur, satis ei fuit. Tantopere enim P. huiusmodi verborum acuminibus delectatum fuisse constat, ut interdum eius consequendae causa in oratione aliquid novaverit. Ne

huius generis, quae vulgo iactantur, loca huc transsripta meae nunc submittam censurae, uno defungar ex hac ipsa epistola depromto exemplo. Etenim II Cor. 13, 3.*) verbum *δυνατεῖν* propte-

*) Incredibile dictu est, quantopere **Emmerlingius** planissimum l. II Cor. 13, 3 — 5. interpretando contorserit. Putavit enim vocc. v. 3. *Ἐπεὶ δοκιμὴν ζητεῖτε τοῦ ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος χριστοῦ* protasin efficere, cuius apodosis, Parenthesi utrimque munienda verba *ὃς εἰς ὑμᾶς* — — — — *ἐκ δυνάμεως θεοῦ εἰς ὑμᾶς* excipiat haec: *ἑαυτοὺς πειράζετε, εἰ ἐστὲ ἐν τῇ πίστει ἑαυτοὺς δοκιμάζετε·* haec autem postrema vocc. consocianda esse cum his: *εἰ μήτι ἀδόκιμοί ἐστε*, ut, quae interposita sunt *ἢ οὐκ* — *ἐν ὑμῖν ἐστιν*; et ipsa haud cunctanter parenthesis signis sepiret. Quam qui sigillatim pertractet explicationem, illud primo animadvertat necesse est, suspectam reddere vocabulorum *ἐπεὶ δοκιμὴν ζητεῖτε τοῦ ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος χριστοῦ, ἑαυτοὺς πειράζετε* coniunctionem ipsum sensum. Ecquis enim sic loquatur: *quoniam documentum loquentis per me Christi expetitis, volo vosmet ipsi exploretis, an nempe sitis veri nominis Christiani* h. e. *non dabo mei documentum et volo vos animi vestri conditionem recognoscere?* Mire enim, qui auctoritatis, quam tibi vindicaveris, argumentum sibi exhiberi postulaverit, *propter id ipsum, quod illud flagitaverit*, ut, in se descendat, commonefacias. Quin sic facile ferrem acutius locutum apostolum: quoniam tanquam Christiani *ἀδόκιμοι* legationis meae specimen [*δοκιμὴν τ. ἐ. ἐ. λ. χ.*] desideratis, non faciam vos voti compotes, imo ut perversitatem vestram et exploretis, et corrigatis vehementer moneo. Quae cogitationum colligatio obversata fortasse est **Emmerlingio**. Certe, ubi horum versuum sensum exposuit, id satis arguere videtur ea, quam, nescio ex quo verbo ductam, inculcavit, vox *imo*. Enimvero ut quisque non erit contortus, ita in id consentiet, vocc. *ἐπεὶ δοκιμὴν ζητεῖτε κ. τ. ἑ.* cum praegressa v. 2. sententia copulari debere h. m.: *denuntio, me, si Corinthum pervenero, haud facilem futurum, quandoquidem legationis meae testimonium requiritis* h. e. *quandoquidem*

rea *effictum ab ipso* P. volunt, ut eo ad similitudinem prius positi ἀσθενεῖν ex adiectivo deri-

---

ut severitate meam auctoritatem confirmem, id ipsi agitis. Qua quidem probata sententia, quae sequuntur, verba carcere suo facile liberaveris. Sive enim vv. ὃς εἰς ὑμᾶς οὐκ ἀσθενεῖ, ἀλλὰ δυνατεῖ ἐν ὑμῖν *qui Christus se non imbecillum, sed potentem vobis per me, Paulum, exhibere solet* cum Emmerlingio interpretere, sive [quod equidem ob v. 2. et 4., ubi, quid possit, Corinthi *mox se declaraturum* contendit, praetulerim] cum aliis *qui Christus* χαρίσματα *largiendo, miracula regundo, religionis impedimenta tollendo, ecclesiam moderando ipse vobis se fortem ostendit*, sic illa cum praecedentibus cohaerent, ut non leviter ea adiecta appareat. Nam illa ratione explicatis vocabulis Paulus auctoritatis apostolicae testimonium inepte a se peti dicit idcirco, quod eius *multa vulgo edere soleat*, hac, male se, ut Christum sibi praesentem esse commonstret, stimulari confirmat, quod sic Christus egregia in Corinthios efficacia conspicuus (nam unius Christi ope suam auctoritatem stabilire poterat) tentari ipse videatur. — V. 4. nihil prorsus habet difficultatis. Non mirum, inquit, Christum potentem se vobis exhibere. Etenim ex morte, cui per suam infirmitatem succubuit, per dei virtutem revixit. Aperta in formula σταυρωθῆναι ἐξ ἀσθενείας vis est praeverbii ἐξ. Nam *per ἀσθένειαν factum esse*, ut in crucem Christus ageretur indicat. In altera versus parte καὶ γὰρ ἡμεῖς ἀσθενοῦμεν – εἰς ὑμᾶς sibi eandem cum Christo fortunam esse profitetur. Nam ut nunc non minus sit ἀσθενής, certo scire, mox Corinthiis vivum castigando se praestiturum. Consentio cum Emmerlingio, nisi quod lectionem καὶ γὰρ καί haud dubie altera καὶ γάρ potiorem duco. Cum enim καὶ γάρ denotet *etenim*, ut vel dilucidandae, vel confirmandae sententiae inserviat, in Christi autem tolerata per infirmitatem morte restitutaque post vita non caussa paullinae neque ἀσθενείας neque ζωῆς contineatur, sententia denique prior καὶ γὰρ εἰ — θεοῦ non nisi eo hic illustrari queat, quod Paulus cum Christo se contendens eandem experiri sortem affirmet [καὶ γὰρ — θεοῦ εἰς ὑμᾶς], in promtu est, alterum

vato nescio cui ingenii lusui indulgeret. De qua tamen re qui paululum addubitaverit, nullam no-

---

καί non solum iustam defensionem, sed etiam necessitatem habere inde, quoniam id solum comparationem institutam adiuvat, praesertim cum Graeci id ibi etiam frequentent, ubi vel omisso neminem latuisset comparatio [cf. Reisig. ad Soph. Oed. Col. Enarr. ad V. 53.]. Sed bene cohortationes v. 5. ἑαυτοὺς πειράζετε, εἰ ἐστὲ ἐν πίστει· ἑαυτοὺς δοκιμάζετε· proxime praegressa excipiunt. Nam opportune post iactatas minas v. 4. [ἀλλὰ ζησόμεθα κ. τ. ἑ.], ne eas eventu comprobari sinant, Corinthios monet. Facillima est sane notionum in hoc versu compositio, ut mirer, Emmerlingium, inclusis parenthesi vocc. ἢ οὐκ ἐπιγινώσκετε ἑαυτοὺς, ὅτι Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν ὑμῖν ἐστιν; haec arctissime copulasse: ἑαυτοὺς δοκιμάζετε, εἰ μήτι ἀδόκιμοί ἐστε. h. e.: *vos ipsi explorate, annon idoneis documentis destituamini.* Nam praeterquam quod haec constructio propter ipsum verborum situm valde est perplexa, illud etiam paucis declarandum fuit, quibus argumentis ἢ οὐκ ἐπιγινώσκετε — ἐστιν; in parenthesi collocaverit E., quamquam me nulla videre confiteri haud poenitet. Nam haec interrogatio ἢ οὐκ ἐπιγινώσκετε – ἐστιν; quammaxime est cum praecedentibus admonitionibus ἑαυτοὺς πειράζετε — ἑαυτοὺς δοκιμάζετε ita coniuncta, ut convenire ipsos magna et constanti fide esse interrogando graviter admoneantur Corinthii h. m.: *vos explorate, an in fide perstetis: vos spectate: annon intelligitis, vos esse homines christianos,* q u o s n e m p e p r o b a t a e *f i d e i e s s e p a r s i t.* Inde autem spero intelligi, interrogationem ἢ οὐκ κ. τ. λ. minime in parenthesi esse locandam, ut quae ipsa cohortationem contineat, sola interrogatione ab antecedentibus diversam. Verba autem ultima εἰ μήτι ἀδόκιμοί ἐστε sic facile cum soluta e parenthesi interrogatione iungi multi viderunt: *vos Christianos esse, quibus sit sancte vivendum, opinor, intelligetis, nisi fortasse minus probati estis,* ut his quidem non sine acerbitate annexuerit versum 6.: *me tamen non esse non probatum, mox vestro incommodo sentietis.* — Haec quidem voluntate mea copiosius disputavi, ut Emmerlingii explicationem contortam docerem. Non enim aliter possunt

xam meruerit. Nam cum δυνατεῖν prorsus legitime concinnatum sit indeque composito verbo ἀδυνατεῖν nihil occurrat apud Graecos frequentius, ne illud quidem saepius inveniri posse despero.

Fortasse tamen existet, qui, cum ei nostra argumentis modo defensa sententia contortior visa fuerit, simplicius dicat coniungi ἵνα με κολαφίζῃ cum ἄγγελος σατᾶν h. quidem ratione: *data est corpori meo sudes, angelus nempe Satanae, qui colaphis me percutiat.* Quae quidem minus mihi placet componendorum verborum ratio. Illud sane non ignoro, reperiri exempla, unde appositionem per addita quaedam vocabula statim in subiectum converti pateat*), cum illa ad subiec-

---

contortae interpretationes refelli, nisi ut eas asperas esse ostendas, et eiusmodi enarrationes opponas, quae facilitate sua in animos se hominum sponte insinuent. Ceterum, quod saepius observavi, id hic quoque nonnunquam in mentem venit, mire Emmerlingium in Paulum consulere, ut qui quasi de industria interdum declinatis simplicibus explicationibus primum ipse verba contorquendo perplexa reddat loca, deinde de ipsorum obscuritate conquestus eius rei culpam in Paulum transferat, quippe qui *consignatam epistolam retractaverit, et, ubi visum, nonnulla ad illustrandam mentem suam inseruerit, quod tamen adeo non ex voto ipsi cesserit, ut obscurior etiam magisque incondita et indigesta redderetur oratio* [Proleg. p. 28.].

*) Ut oratio appositioni potius, quam subiecto attemperaretur, haud raro usu venit apud veteres, cuius rei non obscurior est causa [v. supra.], quam clara sunt exempla. Sic, ut in paucissimis documentis subsistam, Cornelius Nepos in Themistocle c. 7. *nam illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse barbaris* etc. verbum ad *propugnaculum*, quocum contenderat urbem, quam ad *urbem* ipsam applicare maluit. Eadem res est apud Ciceronem pro lege Manil. c. 5. *Corinthum patres vestri totius*

tum appositionem praecedens referenda potius fuissent, ut si quis h. l. ἵνα με κολαφίζῃ cohaerere putet cum ἄγγελος σατᾶν: *data est sudes velut Satanae angelus, qui me caedat.* Causam, cur id fieri possit, sana ratio facile subministrat. Nam cum quod alteri adiicitur appositionis loco vocabulum ab illo non tam sua notione, quam ratione, qua concipitur mente, differre possit, quoniam, quae ipso genere discrepant, duo vocabula, eorum neutrum per neutrum explicari potest, in promtu est, propterea potuisse a scriptoribus subinde ad appositionem tanquam ad subiectum alia revocari vocabula, quod utriusque cogitatio eandem rem, quamquam diverse informatam illam, comprehendit. Nihilominus tamen id hic factum vel propterea non crediderim, quod tum acumen periret, quod arctiore soni propinquorum vocabulorum σκόλοψ et κολαφίζῃ coniunctione nititur.

Descendo nunc ad extrema huius versus verba ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, quae cum in compluribus subsidiis criticis omittantur [cf. Matth. et Griesb. ad h. l.], an sint a Paulo profecta, quaeritur. Vi-

---

Graeciae l u m e n e x s t i n c t u m esse voluerunt et apud Livium I, 19. *omnium primum rem ad multitudinem imperitam et illis seculis rudem efficacissimam,* deorum *m e t u m i n i i c i e n d u m esse ratus est.* Tuo igitur iure II Cor. 12, 7. tributa verbis σκόλοψ τῇ σαρκί subiecti, vocibus ἄγγελος σατᾶν appositionis potestate, vocabula ἵνα με κολαφίζῃ ad ἄγγελος σατᾶν referres h. s.: *ut is Satanae angelus colaphis me percutiat.* Persimilis est l. Coloss. 1, 26. — πληρῶσαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, ν υ ν ὶ δὲ ἐ φ α ν ε ρ ώ θ η τ ο ῖ ς ἁ γ ί ο ι ς α ὐ τ ο ῦ. Paulus enim, quem appositum ad τὸν λόγον τ. θ. vocabulum μυστήριον verisimile fuit participio sic accuratius constituturum: νυνὶ δὲ φ α ν ε ρ ω θ ὲ ν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, peculiari id sententia

detur autem haud cunctanter recentissimorum Criticorum [Matth. Griesb. Knapp.], qui ea retinuerunt, subscribendum esse sententiae. Nam cum omni vi, ut qnae modo praecessissent, destituta esse viderentur, factum est, ut et nonnulli Patres, qui hunc locum ad singula verba in suis libris afferrent, vel compendii causa illa praeterirent, et pauci interpretes [v. c. Vulgat.] vertendo praeter-

dixit, et se τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων κ. τ. ἑ. appositionis loco intulisse quasi oblitus, deflexit ad orationem directam νυνὶ δὲ ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, quasi prius illud τὸ μυστήριον τὸ ἀποκ. κ. τ. λ. ad primariam sententiae partem pertineret. Sed missa hac re cognatum loquendi genus verbo tangere animus est, quoniam id vexato l. Rom. 3, 8. lucem inprimis affundit. Quemadmodum enim ad appositionem haud raro accommodatur sequens oratio, sic ab interiecta potius per parenthesin enuntiatione, quam ab inchoata primaria sententia graeci latinique pariter scriptores eius alteram partem suspendere malunt. Lucian. Hermot. §. 8. — ἀλλ' εὐφημεῖν χρὴ, οἶμαι, μηδ' ὅσιον εἶναι ἐξετάζειν τὰ ὑπὸ τῶν σοφῶν γιγνόμενα cum duae sint sententiae: *est lingua favendum* et *non par est in ea inquirere, quae a sapientibus fiunt:* alteram aptam voluit ab interposito v. οἶμαι per infinitivum εἶναι. Ibid. § 61. οἶνον μὲν γὰρ φαῦλον πρίασθαι ἐν δυοῖν ὀβολοῖν ὁ κίνδυνος, αὐτὸν δέ τινα ἐν τῷ συρφετῷ παραπολέσθαι, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν ἀρχῇ ἔφησθα, οὐ μικρὸν εἶναι κακὸν primaria sententia: *ipsum vero aliquem in luto interire* *non exiguum est malum* iterum ab interiectis verbis: ὡς καὶ αὐτὸς ἐν ἀρχῇ ἔφησθα nexa reperitur. Qui ὡς eiecerunt, importune impeditam structuram adiuvare studuerunt. Eodem non dubito reiicere Luc. Prometh. in verbis §. 3. καίτοι, φαίη τις παραμυθούμενος, οὐ ταῦτα εἰκάσαι τῷ Προμηθεῖ, ἀλλὰ τὸ καινουργὸν τοῦτο ἐπαινεῖν καὶ μὴ πρός τι ἄλλο ἀρχέτυπον μεμιμημένον at, dixerit aliquis consolans, non in hisce rebus Prometheo te comparasse, sed laudare hanc ad nullum aliud exemplar conformatam novitatem. Quare qui εἰκάσαι ἐπαινεῖν scripserit, cum neque sententiae poeni-

mitterent, librarii denique [cf. Griesb.] non iterum scribenda esse putarent. Sunt autem non sine consilio repetita v. ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. Nam cum his verbis hanc sententiam eminere P. voluisset; ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι: *propter id unum, ut superbia reprimeretur* immissam sibi calamitatem esse indicaturus, ut illud efficeret, qui alias aliter hanc rem aggressus est*), eandem sententiam iisdem

---

tuerit, neque ex interpositis verbis φαίη τις aptorum infinitivorum. Pluribus exposuerunt de hoc dicendi genere *summus* Hermannus ad Viger. p. 744. et 894. celeb. Matthiae in *ausf. gr.* Gr. p. 775. et acutissimus ille Ciceronis interpres, Beierus ad Cic. Off. I, 7. ad v.: *atque, ut placet Stoicis, quae in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari*, qui hunc loquendi morem insigni solertia Ciceroni vindicavit. His praemissis de l. Rom. 3, 8. – καὶ μή, καθὼς βλασφημούμεθα καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν, ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακά, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά; facile poterit fieri iudicium. Etenim P. hoc dicturus: *quidni mala perpetremus, ut inde bona oriantur?* [καὶ μὴ ποιοῦμεν τὰ κακά, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά;] verbum ad interrogandi particulam necessarium ad interiecta verba καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν aptavit, pro ingenii celeritate sic contractis notionibus: — *quemadmodum per contumeliam quidam nos dicere contendunt: perverse agamus* etc. καθὼς βλασφ. κ. κ. φ. τ. ἡμᾶς λέγειν, ὅτι ποιήσωμεν. Qua quidem probata sententia sponte sua quisque valedicet multis illis ellipsibus verborumque contortionibus, quas ad hunc locum contulerunt interpretes [vid. inprimis Wolf. ad h. l.].

*) Non est huius nunc institutae scriptionis, quot maxime modis Paulus, ut emineret vel notio, vel tota aliqua sententia, effecerit, persequi. Singularem enim late hic patens locus disputationem desiderat. Sed duas tamen res commemorabo, alteram, quod Emmerlingius ea male intellecta ad demonstrandam Apostoli in scribendo imperitiam abusus est, alteram, quod eam a paucis obscurius sensam, a nemine clare expositam vidi. Emmerlingius enim [in Prolegom. p. 27.] II Cor. 8, 22. συνεπέμ-

hic Paulus repetiit verbis ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, quod sane singulare est. Solet enim in hac causa plerumque diversis verbis eadem sententia bis dici. Quae si recte disputata sunt, sic erit constituenda

---

ψαμεν δὲ αὐτοῖς τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, ὃν ἐδοκιμάσαμεν ἐν πολλοῖς πολλάκις σπουδαῖον ὄντα, νυνὶ δὲ πολὺ σπουδαιότερον, πεποιθήσει πολλῇ τῇ εἰς ὑμᾶς, quod P. dixerit πολλοῖς πολλάκις, - πολὺ - πολλῇ, hanc vanam esse paronomasiam censet, eo ille falsus, quod de industria id factum, ut in priori membro notionem v. ἐν πολλοῖς, in posteriori vocabulorum πολὺ σπουδαιότερον sententiam fortiter enuntiaret, ab apostolo non animadvertit. Illic igitur verba ἐν πολλοῖς proxime adiecto cognato vocabulo πολλάκις, hic πολὺ σπουδαιότερον voce πολλῇ P. adiuvat, ut πολλοῖς πολλάκις, — πολὺ — πολλῇ non una sit paronomasia, sed duae ἐν π ο λ λ ο ῖ ς π ο λ λ ά κ ι ς — et π ο λ ὺ σ π ο υ δ α ι ό τ ε ρ ο ν π ε π ο ι θ ή σ ε ι π ο λ λ ῇ h. modo: *simul misi fratrem, quem in* *m u l t i s s a e p e* *rebus diligentem experiundo cognovi, sed quem nunc* *c o n f i d o* [hoc tale enim verbum ex antecedenti ἐδοκιμάσαμεν duci oportet] *m u l t o fore d i l i g e n t i o r e m propter m u l t a m, quam in vobis reposuit, fiduciam.* Inde vero illos, qui πεποιθήσει πολλῇ ad συνεπέμψαμεν referant, verbis νυνὶ — εἰς ὑμᾶς acumen [erit nunc *multo diligentior*, quod vobis *multum* confidit] detrahere totum cognoscas. Idem valet de l. II Cor. 9, 8. δυνατὸς δὲ ὁ Θεὸς πᾶσαν χάριν περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς, ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν. Hic neque v. ἐν παντὶ πάντοτε frigent, ut quibus notio voc. πᾶσαν αὐτάρκειαν exhauriatur [nam habes omnia, quae satis sint (πᾶσαν αὐτάρκειαν), si in omni re (ἐν παντί) et semper (πάντοτε) habeas], et quod in ternis membris πᾶν scriptum est [πᾶσαν χάριν — πᾶσαν αὐτάρκειαν — πᾶν ἔργον ἀγαθόν] causa idonea non destituitur. Nam non sine subtilitate hoc dicit P.: *potest deus vobis* *q u a e v i s* *d o n a largiri, ut* *q u a e v i s*, *quae quidem sufficiant, habeatis et* *q u a e v i s* *inde beneficia dare aliis possitis.* Similiter autem optimum quemque scriptorem graecum et latinum, ut cogitationem aliquam cum vi efferret, verba cognata

totius versus sententia: *Ne vel propter eximias istas revelationes insolescerem, data meo corpori tudes est, Satanae nempe legatus, quae me tunderet, ne ego insolescerem.*

---

coacervasse, exemplorum a coeli vertice usque ad maris profunda pertingentium infinita multitudine [maxime ex Euripide, v. Porson. ad Eurip. Phoeniss. ad v. 592. et 606.] doceri potest, ut permirum sit, Emmerlingium id in orationis paullinae vitiis posuisse. Ex innumeris haec decerpsi: Cicero de Finib. III, 20, 67. In urbe mundove communi non adversatur ius, quominus *suum quodque cuiusque sit.* Satis fuit *suum cuiusque;* sed adieeit Cicero *quodque,* ut *hanc iuris vim, qua quisque, quae sua sunt, tenet omnia,* eo fortius declararet. Aeschyl. Pers. v. 1042. *Δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς* significat poeta δόσιν, in qua *omnia* se pessime habeant. Plato Cratyl. p. 336. D. Δοκεῖ πάντα πᾶσιν ὁμοίως εἶναι. Apoll. Socrat. p. 31. D. τούτου δὲ αἴτιόν ἐστιν, ὃ ὑμεῖς ἐμοῦ πολλάκις ἀκηκόατε πολλαχοῦ λέγοντος, ὅτι κ. τ. ἑ. Phaedr. p. 247. ed. Heindorf. §. 53. πάντῃ πάντως [cf. etiam I Cor. 10, 33. πάντα πᾶσιν ἀρέσκω II Cor. 11, 6. — ἀλλ' ἐν παντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς.]. Plura exempla vide, sis, apud Beierum ad Cic. de Offic. I. 17. ad v. *multisque cum multis* res rationesque contractae. Alterum vero, de quo me disputaturum promisi, ad illa pertinet loca paullina, ubi cum cumulata vidissent praeverbia interpretes, alii non magnopere premenda ea pronuntiarunt, *Paulum praeverbiorum varietate mirifice interdum delectatum* observantes [ita Winer. in *Comment.* in ep. ad Gal. pg. 31.], alii [V. Ammonius ad l. Rom. 11, 35.] contra sane urgenda esse senserunt magis, quam clare exposuerunt. Sed ut nihil de eo dicam, quod minime est verisimile, Paulum, alias subtilissimum, pluribus, ubi una suffecisset, quod scilicet earum nescio quis amor ipsum cepisset, positis praepositionibus ad inanem battologiam delapsum esse, loca ipsa diligentius pensitata apostolum eo fine, *ut notionis cuiusdam spatium prorsus emetiatur,* quae sub quamque cogitationem cadant praeverbia cumulare, facillime evincunt. Id quale sit, haec pauca affatim doce-

At enim vero non pauci erunt, qui hac me voce compellent: heus tu, quid copiosa, qua grammaticam huius versus colligationem persecutus es, disputatione et tibi molestiam, et nobis

---

bunt exempla: Gal. I, 1. Παῦλος, ἀπόστολος οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρὸς κ. τ. ἑ. Vult hoc: *quod sum apostolus, id non hominibus acceptum refero.* Itaque dicit οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων οὐδὲ δι' ἀνθρώπου h. e. neque causa remotior [ἀπό], neque proxima [διά] meae dignitatis sita est in hominibus, ut h. modo *se hominum merito in apostolorum numerum cooptatum* prorsus negaverit. Nam si humano beneficio constitutus fuisset apostolus, fieri non potuit, quin vel causa suae dignitatis esset remotior, vel propior. Inde autem, quod in sequentibus et Χριστῷ et θεῷ praefixum est διά, difficulter cum Winero *non esse praepositionum ἀπό et διά discrimen magnopere premendum* effeceris. Nam quemadmodum διά hic est loco suo positum, quoniam Christus et Deus apostolos *ipsi* faciunt, ita, ut ἀλλ' ἀπὸ Ἰ. Χ. κ. θ. καὶ διὰ Ἰ. Χ. κ. θ. scriberet Ap., minime fuit necessarium, quod causa propior [διά] remotiorem simul ipsa includit. Quo denique iure in variatis numeris ἀνθρώπων — ἀνθρώπου Koppius vim quaesiverit hanc: *non hominum, ne cuiusquam quidem hominis voluntate atque adeo ministerio constitutus apostolus*, equidem non assequor. Nam qui non hominum voluntate est delectus apostolus, eum ne *cuiusquam quidem hominis* voluntate factum apostolum sponte apparet. Sed Rom. 3, 22. δικαιοσύνη δὲ θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας vidit quidem Koppius, graviter Paulum *omnium* cogitationem pronuntiare voluisse h. r.: *sine discrimine omnibus obtigit* δικαιοσύνη θεοῦ, sed id duplici praepositione εἰς et ἐπί effici eum praeteriit. Sic enim sunt explicanda verba: *manifestata est* δικαιοσύνη θεοῦ *in omnes et super omnes fidem habentes* h. e. omnino omnibus fide conspicuis hominibus; nam, inquit, *quasi ex omni parte omnibus est declarata*, ut quae et *in* [εἰς] *omnes*, et *super* [ἐπί] *omnes manifestata sit.* Quae quidem explicatio cum iam antiquitus multos lateret, accidit, ut et v. καὶ ἐπὶ πάντας, quoniam idem dicere viderentur,

taedium creasti? Nos enim, qui verborum compositionem ad nostrae voluntatis arbitrium unice accommodemus, neque delectati sumus tua disceptatione, et ex parte etiam ea offensi. Nam

---

quod εἰς πάντας, a nonnullis male delerentur [v. Griesb.], et ita a Patribus graecis a v. εἰς πάντας distinguerentur, ut his iudaei, illis gentiles indicari putarentur [Theodoret.: τὸ γὰρ εἰς πάντας, τοὺς Ἰουδαίους λέγει, ἐπὶ πάντας δὲ, τοὺς ἐκ τῶν ἄλλων ἐθνῶν.]. Non minus recte Koppius Rom. 11, 36. verbis ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα· *omnia a deo pendere* fortiter declarari intellexit. Sed ut id fieri possit, discrimen inter formulas ἐξ αὐτοῦ, δι' αὐτοῦ et εἰς αὐτὸν, *etsi non anxie quaerendum*, accurate certe enucleandum est. Nam *omnia a deo suspensa esse* sic optime intelligitur, si omnia et ab eo exire et ad eum iterum recidere dicuntur h. r.: *omnia ex eo, tanquam fonte, promanant* [ἐξ αὐτοῦ], *per eum, tanquam instrumentum, fiunt* [δι' αὐτοῦ], *ad eum* (unde profecta erant) *iterum redeunt* [εἰς αὐτόν]. Simillima est natura l. Ephes. IV, 6. εἷς θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων καὶ ἐν πᾶσιν ἡμῖν. Ibi enim arctissimi nexus, qui inter deum patrem ac nos omnes intercedat, cogitatio eo graviter exprimitur, quod ille quasi undique cum *omnibus* cohaereat, quippe qui *et super omnibus sit, et omnes permeet, et in omnibus sedem ceperit.* Non male Theodoretus: τὸ μέντοι ἐπὶ πάντων τὴν δεσποτείαν σημαίνει, τὸ δὲ διὰ πάντων τὴν πρόνοιαν, τὸ δέ γε ἐν πᾶσι τὴν ἐνοίκησιν. Rom. 1, 17. δικαιοσύνη γὰρ θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν Paulus τὴν δικαιοσύνην τοῦ θεοῦ *in sola fide verti* eo innuit, quod non solum e fide originem trahat [ἐκ πίστεως], sed etiam ad fidem spectet [εἰς πίστιν], eo nempe, quod ad fide praeditos homines pertineat. Sed aliena sunt ab hoc genere alia loca, quae huc traxit Winerus v. c. II Cor. 2, 16. οἷς μὲν ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον· οἷς δὲ ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωήν. Hic enim vocabulis εἰς θάνατον et εἰς ζωήν quem minus definite dixerat [ὀσμὴ θανάτου et ὀσμὴ ζωῆς] odorem mortis et vitae, definit accuratius additis verbis εἰς θάνατον et εἰς ζωήν, quae illum odorem eatenus *mortis* et *vitae*

quod nos maxime angit, quis sit ille, de quo P. questus est, σκόλοψ, id prorsus intactum reliquisti. Audio istas voces, neque eas tamen curarem, nisi, quae dixerit mala P. σκόλοπα, perspicue, et ut nulla relinquatur dubitatio, *ex iis*, *quae sequuntur*, doceri posset. Dicerem enim frustra ea e v. σκόλοψ, ἄγγελος σατᾶν et κολαφίζειν extundi, quae nonnisi malorum gravissimorum quorumcunque contineant significatum. Sed cum ego hunc σκόλοπα explico, ne quis me multas illas a V. D. hic sparsas ineptias collecturum speret, quas congerere infinitum, diiudicare prorsus est inutile. Sed ne omnino deesse in hac causa quibusdam videar, haec pauca commemoro, alios de morbo σκόλοπα explicuisse, et de κεφαλαλγίᾳ quidem iam veteres nonnullos, quos, si a paucis recesseris, egregie refutavit Chrysostomus ad h. l., de *melancholia hypochondriaca* Wedelium [cf. Wolf.], de *haimorrhoide* Bertholdtum *Einleit.* p. 3373. [nam huius, inquit, dolor eiusmodi est, ut palo perforatum tibi tergum videatur], quamquam is hanc retractavit sententiam in peculiari de h. l. dissertatione [Erlang. 1820. et 1821.], cuius quantum olim perficere ipsi licuit, recusum vide in b. Bertholdti Opusc. acad. [Lips. 1824.] p. 134 sqq. de *epilepsia* Zieglerum [*Theolog. Abhandl.* II, 127.], ne hunc morborum catalogum ulterius persequar, alios autem diversissimi generis taetras res significari insulse coniecisse, ut *iniectiones*, quas dicunt, *Satanae* [Matth. 4, 3 sq.] [Arowsmith.], ut *arces conscientiae morsus* ob male olim vexatam ecclesiam christianam, ut *tentationes*

---

odorem esse declarant, quatenus mortem et vitam inferat. Sed haec quidem in praesentia paucis monere placuit. Nam rem multis verbis indigam et illustrare magis et confirmare alias mihi est propositum.

spirituales [sic *Kannius in bibl. Untersuchungen und Ausleg. P. II. Erlang.* 1820. p. 123 sqq.]. Quin ne defuerunt quidem, qui *aestum venereum* [cf. Wolf. ad h. l. et Bertholdt. l. l.] et *caput peragrantia animalcula* testante Cotelerio in Notis ad T. I. monument. eccl. gr. p. 252. dici existimarent. Quas quidem sententias, ut plurimas illas, quas non attuli, quem refutare non pigebit, poterit facillime eo evertere, quod eas vel e male pressis vocabulis σκόλοψ, ἄγγελος σατᾶν et κολαφίζειν effectas ostendat, vel mala leviora, quam quae aut fastum deprimere, aut permovere P. potuerint, ut, quo averruncaret, ter dominum precaretur, importare declaret, vel cum v. 9. et 10. non concinere demonstret. Quippe ex his maxime versibus certum est, *quascunque in munere apostolico perferendas calamitates* σκόλοπι declarari, a qua sententia illi prope abfuerunt, qui falsos doctores Paulo adversarios innui putaverunt [v. c. Seml. Iasp.]. Sed praeter hostiles falsorum doctorum impetus omnia in munere apostolico exhaurienda mala σκόλοπι comprehendi apparet e v. 10., qui argumenti perpetuitate cum v. 7. cohaeret, quod non est intellectu difficile. Premor σκόλοπι, inquit v. 7., mihi a Satana immisso; quo ut liberarer, ter dominum adii v. 8. Hic tamen voluntati meae non respondit, *quod sit magna* ἀσθενείας *utilitas* [ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται], e qua voce manifestum est, hic ἀσθένειαν dici, qui supra appellatus fuerat σκόλοψ et ἄγγελος σατᾶν. Propter hoc domini responsum, inquit P., et laudi mihi duco [v. 9.] et laeto animo perfero ἀσθενείας, ὕβρεις, ἀνάγκας, διωγμοὺς, στενοχωρίας, ὑπὲρ Χριστοῦ [v. 10.]. Hic vero apparet ante dictam ἀσθένειαν disertius appellari ὕβρεις, ἀνάγκας, quae ἀσθένεια cum eadem

sit sum *σκόλοπι*, ne hunc quidem diversum esse ab *ἀσθενείαις*, *ἀνάγκαις* - - *ὑπὲρ Χριστοῦ* in promtu est. Huic explicationi singula quoque bene conveniunt. Primum enim recte esse Praesens *κολαφίζῃ* positum liquet, ut in calamitatibus, quae essent diuturnae, quemadmodum ipsum apostoli munus, a quo nexae fuerunt, non fuit unius temporis momenti, sed totius vitae. Quam Praesentis vim si omnes perpendissent, non eiusmodi morbis, qui cito transeunt, Paulum laborare existimassent, quam perversitatem eo, quod non *κολαφίσῃ*, sed *κολαφίζῃ* P. scripsit, iam explosit Chrysostomus. Deinde etiam hoc manifestum est, et quam fuerint recte hae in administrando munere calamitates dictae *ἄγγελος σατᾶν*, et cur per dominum [h. e. Christum] eas remotas voluerit. Nam quae P. tanquam Apostolum urgebant mala, ea e sententia nostrorum scriptorum vix poterant ab alio nata esse, nisi a Satana, capitali rei christianae inimico, qui, quotquot essent eius impedimenta, ea obiecisset omnia, neque ab ullo commodius removeri, nisi a Iesu Messia, et suas res nunquam non tuente, et Satanam omni tempore facile subigente, aliquando autem omni vi spoliaturo. Tum fuit profecto, quod praesentibus malis levari se cupiens, *ter* h. e. saepius [Chrysost. *τρὶς, τουτέστι πολλάκις.*] adeo ad dominum mitteret preces. Nam vehementia fuerunt, et, quominus causa christiana magna caperet incrementa, impedire videbantur. Denique, ut alia, ut in perspicua re, praeteream, hoc unum addam, nostra probata sententia bene ad rem propositam quadrare responsum domini, qui Paulum, ut novam doctrinam sine molestiis annunciare ipsi liceret, petentem, hac reiecit voce: *ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου· ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται* v. 9. quae v. sic explica: *sit tibi satis, te esse*

Apostolum; calamitate vacuum munus noli expetere, quod per illam mea vis optime elucescit. Quanto igitur sapientius posterioris aetatis interpretibus hic versatos putabimus duce Chrysostomo Patres graecos, qui, cum non ostentandi ingenii causa ad eiusmodi loca accessissent, et male sanas aliorum sententias facili negotio vanitatis convicerunt [cf. Chrysostomum contra *κεφαλαλγίας* paullinae fautores disputantem], et quae sua simplicitate et convenientia se maxime commendasset, hanc potius, quam temere confictam novam defendere haud dubitarunt? Inde autem factum est, ut verum illi nostro l. assequerentur. Transscribo huc, quoniam ob brevitatem suam ad id inprimis apta videtur, Theodoreti explicationem. Is sensum v. 7. h. v. expressit: *τῆς ἐμῆς ὁ δεσπότης προμηθούμενος ὠφελείας τοὺς παντοδαπούς μοι συνεκλήρωσε πειρασμοὺς, ταύτῃ τὸ φρόνημα χαλινῶν καὶ οὐκ εἴκων ὑπέρογκόν τι λογίσασθαι· ἄγγελον γὰρ σατᾶν τὰς ὕβρεις καὶ τὰς παροινίας καὶ τὰς τῶν δήμων ἐπαναστάσεις ἐκάλεσε. καὶ τοῦτο ἐν τοῖς ἑξῆς ἑρμηνεύει σαφέστερον.*

Desinant igitur aliquando bacchari, qui certatim etiamnum procurrentes missis ceteris huius l. difficultatibus nihil potius habent, quam ut hunc satis iam a veteribus interpretibus manifestatum *σκόλοπα* sua vel doctrina, vel ingenio quasi e tenebris protrahant. Sic enim non potest fieri, quin ex aliqua mentis caligine iam ab illis perspectum *σκόλοπα* non videntes, non sine sanguinis profusione in hac vepre deinde ipsi haereant.

Αὐτὰρ ἐπεὶ διά τε σκόλοπας καὶ τάφρον ἔβημεν
nullam nobis nunc quidem reliquam fecimus molestiam, nisi ut nomen olim contractum [cf. Dissertat. I. p. 49.] religiose dissoluturi quaedam disputemus de l. II Cor. IV, 1 — 6. — Nimirum Paulus splendidissimi sui muneris memorem contra, quam falsi doctores, id sic se administrare contendit, ut veritatem divinam omnibus aperiat v. 1. 2. Quae si tamen nonnullis obscura maneat, hos esse conclamatos homines, quorum tenebricosae menti evangelii splendorem Satanas subtrahat v. 3. 4. Ceterum P. sic annuntiat novam doctrinam, ut Christum, dominum, se eius divinitus collustratum praedicet ministrum. v. 5. 6.

Apostolus quod vix inchoatum [III, 12.] statim destituerat ad alia quippe transgressus de sua in obeundo munere fide ita tractandi consilium, ut simul malorum doctorum perversitatem pervelleret, Cap. IV, 1. denuo repetit his verbis: διὰ τοῦτο ἔχοντες τὴν διακονίαν ταύτην, quae vocabula sic explicanda sunt: *propterea, quod nempe tali munere ornatus sum.* Nam cum διὰ τοῦτο, quoniam plura praecesserant, quid eorum spectaretur, in ambiguo reliquerit, lux ei affunditur per adiecta haec: ἔχοντες τὴν διακονίαν ταύτην. Sed totus hic versus omnibus difficultatibus vacuus est. *Quoniam igitur, inquit, e divino beneficio hoc tale munus* [cf. III, 8 sqq.] *in me collatum est, non animo cado.* Neque v. 2. admodum eget auxilio, nisi quod pauca de v. τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης et ἐνώπιον τοῦ θεοῦ monere lubet. Emmerlingius enim, qui nonnullorum τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης ad singularem aliquam turpitudinem referentium sententiam recte improbasset, ipse tamen in errorem inductus loco I Cor. 4, 5. hanc locutionem *consilia turpia*, falsorum puta doctorum, designare

existimavit. Nam cum I Cor. 4, 5. *τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους*, inquit, a quibus non sunt diversa *τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης*, explicentur adiectis pari potestate vocabulis *τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν*, neminem potest consiliorum turpium latere significatus. Sed ne de eo dicam, non posse tam universam dictionem [*τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους, τῆς αἰσχύνης*: *recondita, quae habent tenebrae, turpitudo* nunquam enim non quamcunque turpitudinem occultam indicat] propterea ad angustiorem deflecti potestatem, quod in alio l. haec vel illa res, quae toti generi subsit, scriptoris aperte obversata fuerit animo, locus etiam noster, ut generatim *τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης* accipiamus, satis monet. Nam quod iis accidere solet, qui tectius perstringere alios constituerunt, ut primum universe locuti, quem carpant, non ita, ut eum videre possis, notent, deinde vero distinctius, quem in animo habeant, adumbrent, id ipsum hic licet in Paulo animadvertere. Itaque is se occultam turpitudinem aversari omnem primum universe dicit [*ἀλλ' ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης*], deinde malos doctores apertius petens a singularibus fraudulentiae et corrumpendae doctrinae vitiis alienum declarat h. verbis: *μὴ περιπατοῦντες — — ἐνώπιον τοῦ θεοῦ non fraudulenter ago, nec temero doctrinam divinam, sed aperiunda vera doctrina* (aliter, quam olim Moses 3, 13., nunc adulterini doctores) *omnibus me commendo hominibus.* Superest, ut de v. *ἐνώπιον τοῦ θεοῦ* nonnulla adiiciam. Hanc vocem Emmerling. vel ad *τῇ φανερώσει* (imo ad totam sententiam *ἀλλὰ τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας συνιστῶντες ἑ. π. π. σ. ἀ.* me commendo omnibus, *ut dei respectum habeam*) referri posse contendit, vel, quod ipsum praefert, idem esse putat, quod I Thess. 2, 5. *θεὸς*

μάρτυς. Qui si hanc potestatem sic efficit, ut *ἐνώπιον τοῦ θεοῦ* ad verbum *συνιστῶντες* pertinere professus h. modo interpretetur: *me commendo omnibus deo quasi praesente* h. e. ut deum huius rei testem habeam, nihil sane huic explicationi inest, quod iure possit reprehendi, quamquam hic quidem minus consentaneum est, Apostolum interposita dei auctoritate suam agendi rationem confirmare, quam candido se animo omnibus explicanda doctrina commendare dicere h. r.: *omnibus exponenda doctrina me commendo ita, ut in deum intuear.* At si Emmerlingius cum Schleusnero in Lexic. s. v. *ἐνώπιον* formulam *ἐνώπιον τοῦ θεοῦ* vel nude positam iuranti esse solemnem e. l. ad Gal. I, 20. apparere putavit, profecto erravit. Ibi enim iurisiurandi significatio non voci *ἐνώπιον τοῦ θεοῦ*, sed universis vocabulis (*ἃ δὲ γράφω ὑμῖν*) *ἰδοῦ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, ὅτι οὐ ψεύδομαι* continetur, ita quidem, ut ad *ἐνώπιον τοῦ θεοῦ* e praegresso *γράφω* ducere debeas, ut inde *ὅτι* suspendatur, *λέγω*, vel simile verbum h. r.: *sed quod ad ea attinet, quae vobis scripsi, in dei conspectu dico* (scribo), *me non mentiri.* Sed ne sibi, qui explicanda nova doctrina omnibus se hominibus commendari professus erat v. 3, ii opponerentur, quibus nihilominus tamen non probaretur evangelium, ipse dixit v. 3. et 4. Apostolus, etiam si invenirentur, quibus velamine quasi contecti evangelii non appareret veritas, hos non in censum venire a Satana quippe occaecatos homines. Quod Paulus suum evangelium a nonnullis non intelligi eo innuit, quod id quibusdam *κεκαλυμμένον* esse contendit, eo nemo offendet, qui allegoriam de Mosis *καλύμματι* [3, 13.] recentem in eius animo haerere reputaverit. Minime autem latere quemquam possunt *οἱ ἀπολλύμενοι.* Nam quemadmo-

dum *οἱ σωζόμενοι* ii appellantur, quos regni messiani felicitate, cui praecipuum *τῆς σωτηρίας* tribuitur nomen Rom. 13, 11., aliquando perfrui certissimum est [I Cor. 1, 18. II Cor. 2, 15.], sic *οἱ ἀπολλύμενοι* ii nominantur, qui, quod oblatae doctrinae non obtemperant, et excidunt illa felicitate, et aeternae mortis miseriae [cf. Bertholdt. in Christologia p. 223.], quae ipsa est *ἡ ἀπώλεια* [Rom. 9, 22.], haud dubie obnoxii fiunt. Quamquam hos ipsos paulo accuratius P. depingit v. 4. *ἐν οἷς ὁ θεὸς κ. τ. ἑ.*, in quo commate sicut illud a sexcentis quippe explicatum in vulgus constare novi, et cur Satanae hae deferantur partes, ut in perditis hominibus oculorum aciem praestringat, et cur Christus splendido *εἰκόνος τοῦ θεοῦ* condecoretur nomine, ita illud disceptatu sane dignum accidit, quomodo sint vv. *ἐν οἷς ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων*, enarranda paucis dirimere. Emmerlingius igitur [nam Patres graecos, qui, ut sibi a Manichaeorum errore caverent, post ὁ θεός commate interpunxerunt, lubenter mitto.], si recte eius mentem perspexi, verbis *τῶν ἀπίστων* accuratius definiri *τοὺς ἀπολλυμένους* putavit h. r.: — *quibus occaecavit huius mundi deus mentes, ipsorum nempe, qui essent destituti fide.* Cui ego propterea contradixerim sententiae, quod hic quidem prorsus fuit supervacaneum, hoc illos modo diligentius notari, ut qui et *τῶν ἀπολλυμένων* nomine satis erant insigniti et superadditis vocc. *ἐν οἷς — τὰ νοήματα* magis etiam descripti. Quod quidem iam pridem ii senserunt, qui, ut Wolfius, praeeunte Syro [is *τῶν ἀπίστων* sic reddidit: ܡܛܠ ܕܠܐ ܡܗܝܡܢܝܢ] verbis *τῶν ἀπίστων* causam contineri volunt eius rei, quod huius mundi deus luce eos privaverit

h. r.: *quibus Satanas obscuravit mentes, quod nempe increduli erant.* Sed haec tamen propterea reiici debet sententia, quod incredulitas non causa est, cur Satanas hominum mentibus tenebras offudit, sed effectus obscuratorum a malo daemone animorum. Proinde non dubito, quin τῶν ἀπίστων, ut adiectiva apud Graecos saepissime [cf. Lobeck. ad Sophocl. Ai. v. 515. p. 299. Erfurdt. ad Antig. ad v. 786. Seidler. ad Eurip. Electr. ad v. 442.], id *quod rem consequitur,* declaret h. m.: *quibus Satanas mentes occaecavit, hoc effectu, ut nullam haberent fidem.* Verba sequentia εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι κ. τ. λ. declarant consilium, quo Satanas lucem ademit τοῖς ἀπολλυμένοις. Nam quemadmodum inde, quod mentis aciem obtudit, id sponte natum est, ut fidem denegarent, ita ipse, ne illustris evangelii splendor iis affulgeret, efficere eo voluit. Recte Emmerlingius αὐτοῖς, quod post αὐγάσαι vulgo legunt, cum Griesbachio expellendum esse putavit. Ipsa enim huius verbi in Codicibus diversa species, hoc vocabulum ad diversam, quae pateret, v. αὐγάσαι explicationem sustentandam infartum esse docet. Neque tamen hac deleta voce αὐγάσαι *videre,* quod sane voluerunt, qui antiquitus αὐτοὺς inculcaverunt, significare debere contenderim. Nihil enim obstat, quominus vel sine Dativo *affulgere* designet, quoniam *iisdem,* de quibus plura dixerat Ap., evangelii non affulgere splendorem Satanam voluisse sponte intelligitur. Versus 5. arcte cohaeret cum praecedentibus. Nam cum qui suam non intellectam doctrinam repudient, eos a Satana obiecta caligine praepeditos ne Christi evangelii illustris splendor iis appareret, nullam fidem habere affirmasset, sic pergit: οὐ γὰρ ἑαυτοὺς κηρύσσομεν, ἀλλὰ χριστὸν, Ἰησοῦν, Κύριον h. e. recte dixi, quibus mea doctrina

obscura sit, eorum oculis splendidum Christi evangelium a Satana subtractum esse; *non me enim* [falsorum magistrorum more], *sed Christum praedico dominum*, ut, qui meam disciplinam non intelligat, eum Christus lateat. Verba οὐ γὰρ — Ἰησοῦν, κύριον, nisi prius ipse impedias, satis expedita sunt. Nam ad οὐ γὰρ ἑαυτοὺς κηρύσσομεν vocem, quae statim sequitur, κύριον mente repetendam esse h. m.: *non me dominum praedico, iacto:* quivis intelligit. Neque, ut οὐκ — ἀλλά h. l. *non tam, quam* interpretere, sententiarum ratio patitur, cum non *se quodammodo, Christum magis* dominum praedicare, sed *unum Christum dominum, se nullo modo dominum dici*, ut qui nonnisi Corinthiorum propter Christum se profiteatur ministrum [ἑαυτοὺς δὲ δούλους ὑμῶν διὰ Ἰησοῦν] affirmet Paulus. Ceterum non dubito, quin οὐκ — ἀλλά saepissime *non tam, quam* denotet, ut Winerum, qui id omnino fieri posse in Grammatica N. T. negavit, intrepide erroris insimulaverim *).

---

*) Quemadmodum enim Winerus in Grammatica N. T. sua bonae frugis utique plena res multas, quae mihi quidem inauditae acciderunt, nec vel rationis ope vel fide antiquitatis per me tutari valeo, tanquam in vulgus notas inoffenso pede transgressus est, cuiusmodi quaedam pertractandi proxime dabitur occasio: ita haud paucis, quae ullo pacto suspecta reddere non facile quis sustineat, vel dubitationis notam inurere (velut p. 87. dubitanter loquitur de Aoristo Plusquamperfecti locum occupante, huius usus ingentem numerum exemplorum undique confluere paene oblitus; alia demto interdum auctore supra a nobis notata sunt), vel omne fundamentum subtrahere irrito studio allaboravit. Cui rei nunc quidem id claro documento sit, quod p. 131. a se impetratum negat esse, ut οὐκ - ἀλλά sensu leniori (*non tam - quam*) unquam adhiberi adduceretur. Tametsi enim l. Matth. 9, 13.

Reliquum est, ut dicam de v. 6., cuius de nexu cum praecedentibus et quomodo sit sentien-

---

ἔλεος θέλω καὶ οὐ θυσίαν ab huius usus societate iure optimo exclusit, tametsi alibi maximeque I Cor. 1, 17. οὐκ ἀπέστειλέ με χριστὸς βαπτίζειν, ἀλλ' εὐαγγελίζεσθαι Matth. 10, 20. οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν, utram in partem inclines, anceps videatur iudicium, tametsi Ioa. 6, 27. rem eo fortius inculcari, quod idem, ut solent Graeci [v. S. Hermann, not. ad Elmslei. Medeae v. 328.], bis et affirmatione rei ipsius et negatione contrarii exprimitur, ultro concedam: tamen huius usus veritatem plurimis iisque certissimis exemplis evinci, quem fugit? Sane sequamur Schaeferi illius consilium, qui (ad Bos. Ellips. p. 309.): *Diligenter cavendum*, inquit, *ne quod πρὸς ἀντιδιαστολὴν simpliciter dictum est, pro elliptico dicendi genere hac ratione explendo habeas*: qualis iudicii gravitatem si ob oculos sibi posuissent cuncti, Schleusnerus (in Lexico s. v. οὐ) ab errore in l. I Petr. 3, 3. commisso tutus fuerat, nec Schwebel. (ad Bos. Ellips. p. 772.) l. Philem. v. 17. Rom. 3, 28. Hom. Il. Δ, 228. manum erat importune admoturus, quam et Wahlius in Clavi s. v. οὐ a l. Ioa. VIII, 50. X, 20. plane abstinuerat et Michaëlis (ad B. Ellips. p. 773.) a l. Luc. XIV, 12, 13., ubi cum alia, tum v. μήποτε καὶ αὐτοί σε ἀντικαλέσωσι καὶ γένηταί σοι ἀνταπόδομα, ut prorsus stetur a Wineri partibus, flagitant, anxie erat retracturus. At num ex his paucis, quae male huc detorta esse ipse demiror, totius generis pravitas eluceat? Lenius, sodes. Adde, quod res nec ratione idonea caret. Differunt haec ita. Qui dicit v. c. *non bonus, sed malus*, is prius simplici negatione tollit, affirmat posterius, utrum res a se negata veri speciem habeat, necne haud definiens; contra qui dicit: *non tam bonus, quam malus*, is et dubitantius loquitur, et eo propendet, ut pro priore malit certum quid aliud amplecti. Causa autem huius loquendi formae, minime in negatione, sed in sententiarum secum invicem collatarum natura debet sita cogitari, quae si ita comparatae sunt, ut utriusque ambitus non sit certis cancellis circumscri-

dum de v. ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ paucis monere operae est pretium. Perspicuum est autem,

---

ptus, sed alteri cum altero aliqua ratione sit cognatio: apparet, quando hae tales in hunc modum secum componuntur, ut si dicas: *ille non est bonus, sed optimus*, negationem vim plenam suam exuere; etenim qui optimus est, est idem certe bonus, sed sequitur aliud, quod definitius et plus sit altero. Nolo loca e profanis scriptoribus, a multis congesta, praesertim cum undique concurrant, huc adhibere: in locis e N. T. petendis animo lubenti consisto. Reperio autem, W i n e r u m facillima quaevis excusatu apposuisse potissimum, aliorum insolentiam occultasse magis, quam studiose sustulisse. Etenim de talibus, qualia sunt Ioa. VII, 17. ἡ ἐμὴ διδαχὴ, οὐκ ἔστιν ἐμὴ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με. Ioa. XII, 44. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ, ἀλλ' εἰς τὸν πέμψαντά με. Marc. IX, 37. ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, οὐκ ἐμὲ δέχεται, ἀλλὰ τὸν ἀποστείλαντά με. ne admonuit quidem, ubi si v. πιστεύει εἰς ἐμὲ, διδαχὴ ἐστιν ἐμὴ, ἐμὲ δέχεται solute et in universum, quasi locum plane non habuissent, negarentur: quomodo tandem dici potuerat de iisdem rebus ἡ ἐμὴ διδαχὴ, ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, quae *quodammodo saltem* et doctrinam Iesu fuisse, et fidem servatori haberi eundemque simul excipi et ipsum clarissime demonstrant? Ab his minime dubiis haud multum discedunt l. Act. 5, 4. οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ. 1 Thess. 4, 8. Τοιγαροῦν ὁ ἀθετῶν οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν Θεόν. in quibus iusto ludibrio exponat Apostolum, qui sic ceperit: *Tu mendaciis plane non homines, sed Deum petivisti* et: *qui mea Apostoli placita spernit, nullo modo hominem, sed Deum solum contemnit:* nam cum mendacia et superbiam proprie ac proxime ad se pertinere res ipsa declaret, *D e u m i l l e s e f a c e r e t i p s e:* quod sentiens W i n e r u s sensum hunc, ut in doctrina divina Apostoli nullas esse partes amplius indicetur, intrusit, alios, ut auguror, amicos habiturus. Quid quod (cuius usus vanitatem coarguere supersedit W i n e r u s) οὐκ-ἀλλὰ *non tantum-sed etiam* haud raro significat? (idque plus esse inde patet, quod qui *non tam - quam* dicat, posterius pro priore si

propterea adiectum esse v. 6., ut *merito sese Corinthiorum propter Christum ministrum* [ἑαυτοὺς δὲ, δούλους ὑμῶν διὰ Ἰησοῦν] *appellatum* esse declararet h. m.: *me vestrum propter Christum profiteor ministrum; nam deus me nova doctrina impertiit: ut cum aliis eam communicarem.* Sed hanc tamen sententiam: *divinitus sum edoctus:* nova, quae sibi contigit, doctrina luci, quae affulserit, assimilata sic enuntiavit: ὅτι ὁ θεὸς — ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν h. e.: *nam deus,*

non certo, at rectius obtinere affirmat, qui *non tantum — sed etiam,* neutrum tollit, sed consistere utrumque patiens alterum alteri tantum adiici cupit), cuius dictionis sat certum exemplum praebet l. I Timoth. V, 23. μηκέτι ὑδροπότει, ἀλλ' οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ, nam loca a Schleusnero allata (Lex. s. v. οὐ) Ioa. XII, 44. Marc. 9, 37. 2 Cor. VIII, 5. Ioa. VIII, 50. perquam omnia aliena esse, neminem, qui ea vel obiter inspexerit, latere potest. Quo genere apud Graecos nil frequentius: exemplis v. c. a V. D. ad Bos. Ellips. p. 310 sq. et p. 373. magnam partem commode congestis adde Lucian. D. D. XII. 1. οὐ τὰ ἐν τῇ γῇ λέγω, ὁπόσα τοὺς ἀνθρ. — ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ. Iud. Vocal. §. 2. Δίκαιον οὖν, οὐχ ὑμᾶς, οἱ δικάζετε νῦν, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ γράμματα τῆς πείρας ἔχειν τινὰ φυλακήν. — Quod vero Winerus etiam DeWettium et Schulthessium in sui erroris societatem adsciscere velit, id, multum vereor, ne nolentibus V. D. instituerit; quamquam enim ipsas illorum disputationes nunc forte inspicere mihi non licet, tamen cum reliqua virorum prudentissimorum sobrietas, tum quod huic pervagato usui *ex parte tantum* suum adiecisse scrupulum ab ipso Winero dicuntur, eo me perducunt, ut haud sciam, an nihil aliud, quam locorum quorundam temere hunc et re parum pensitata coactorum veram indolem aperuerint: quo facto quis non omni ope laudandos censeat? Sed quicquid sit, si quis huius usus firmitati omnino adversari in animum induxerit, eum vehementer errare demonstrasse videmur.

qui [in rerum primordiis] *e tenebris exsplendescere iussit lucem, ille est, qui, ut in animo meo lux effulgeret, effecit.* Haec autem verba non magis sunt obscura, quam causa, cur iis in hac re P. utatur, est plana. Nam recte qui modo [v. 4.] aliquem Christi evangelio vindicaverat splendorem, sic se ad illud conversum esse eo arguit, quod *deum lucem* in suo animo *accendisse* dixit. Lubenter igitur cum iis facio interpretibus, qui ὅς ἔλαμψεν *qui deus fecit, ut lux exoriretur,* quam *qui refulsit ipse* h. e. *cuius cognitio in animo meo emicuit* enarrare maluerunt; idque propterea, quod vv. praecedentia ὅτι ὁ θεὸς ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι non dei, qui olim de orbe terrarum tenebras dispulerit, cognitionem sibi oblatam simpliciter dicere, sed evangelii notitiam *ab ipso deo acceptam se habere* Paulum declarare manifesto sunt indicio. Ceterum minime est necessarium, ut in vv. ὅτι ὁ θεὸς ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι cum Emmerlingio ἐκ *post* interpreteris, cum propria huius praepositionis potestas optimum hunc fundat sensum: *qui deus tenebras in lucem converti iussit.* Superat explicatio postremorum huius versus verborum πρὸς φωτισμὸν – ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, quae ut primo statim obtutu eum, quem continent, produnt sensum, ita vocabula ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ accurate enarrare cupienti nodum nectunt aegre solvendum. Et Patres quidem graeci [v. c. Oecumenius] verbis ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ nihil, nisi circumscriptionem Christi [cf. Dissert. I. p. 8,] contineri rati, ipsa cum ἔλαμψεν copulaverunt h. s.: *qui lucem in animo meo accendit per Iesum Christum.* Oecumenius: ἔλαμψέ, φησι, φωτίζων ἡμῖν καὶ ἀποκαλύπτων τὴν ἰδίαν γνῶσιν καὶ δόξαν ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ] τουτ–

ἐστι διὰ τοῦ προσώπου τοῦ χριστοῦ διὰ γὰρ τοῦ υἱοῦ ἡ ἀληθὴς γνῶσις τοῦ πατρός. Sed quam commodus sensus magnopere commendat sententiam, ea situ nimis a vocc. ὃς ἔλαμψεν distractorum verborum ἐν προσώπῳ Ἰ. Χ. facile confutatur. Prius enim, *per quem lux contigerit,* quam *quo consilio data fuerit*, dici oportuit [ὃς ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν ἐν προσώπῳ Ἰ. Χ. πρὸς φ. τ. θεοῦ.]. Unde invitante vicinia alii ἐν προσώπῳ Ἰ. Χ. ad τῆς δόξης τ. θ. retulerunt h. s.. — *splendoris divini in vultu I. Ch. conspicui.* Sic v. c. Schottus, Emmerlingius, a quibus paululum dissidet Stoltzius, qui e verbis eodem modo coniunctis hunc elicuit sensum: — *damit ich andre mit derselben Erkenntniss der göttlichen Vollkommenheiten erleuchte, die sich in der Person Iesu Christi glänzend vereinigen.* Sed quemadmodum illos eiusmodi sensum amplexos esse ultro concedo, qui minime hic sit ineptus, propterea, quod non abhorret, Paulum pro celebri suo subtilitatis studio nunc τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰ. Χ. opponere supra [3, 7.] in allegoria commemoratae τῇ δόξῃ τοῦ προσώπου Μωϋσέως, ita utrosque graviter in grammaticam impegisse apparet eo, quod repetito articulo τῆς ante v. ἐν προσώπῳ e certissima grammatices lege opus fuit. Illud sane non ignoro, articuli sic omissi patrocinium susceptum nuper esse a celeb. Matthiae ad Eurip. Phoeniss. v. 526., qui tribus rem comprobare studuit exemplis. Sed Eurip. Bacch. v. 767. ταρβῶ μὲν εἰπεῖν τοὺς λόγους ἐλευθέρους εἰς τὸν τύραννον offensionem sustulerim hac interpretatione: revereor equidem hos sermones, *quoniam sunt nimis liberi*, in regem dicere. Sic v. τοὺς λόγους ἐλευθέρους non unam efficiunt notionem *liberos sermones*, sed appositio

ἐλευθέρους causam, cur nolit Chorus illos sermones ad regem perferre, declarat; cui explicationi apprime favent sequentia: ἀλλ' ὅμως εἰρήσεται, h. e. quamquam sunt liberiores, dicentur tamen. Et Sophocl. Trachin. v. 932. κἀνταῦθ' ὁ παῖς δύστηνος οὔτ' ὀδυρμάτων ἐλείπετ' οὐδὲν κ. τ. ἑ. ita seiunxerim ὁ παῖς et δύστηνος, ut solum ὁ παῖς subiectum constituat, δύστηνος autem vox alius fortunam miserantis arctius cum verbo ἐλείπετ nectatur, ut paulo ante ἔγνω γὰρ τάλας. Denique Eurip. Phoeniss. v. 527. Οὐκ εὖ λέγειν χρὴ μὴ 'πὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς· οὐ γὰρ κ. τ. ἑ. simili modo me expediens sic ceperim: non convenit facta probare, *si non honesta sint.* Video autem *summo Hermanno* his exemplis non esse assensum extortum, ut qui ad Soph. Philoct. v. 1142. de coniectura τᾶς σαρκὸς αἰόλας hoc ferat iudicium: *in ipsa peccat elementa grammaticae.* Praeterea vide, quae habet idem V. praestantiss. ad Sophocl. Philoct. v. 835. et ad Antig. v. 932. (cf. Schaef. ad Theocr. XXIV, 37.) Neque, ut verum fatear, prava ista articuli omissio idoneis exemplis Novo potest T. vindicari. Nam quamquam saepissime interpretes sic consociare verba cognovi, quasi articulus vel adsit, vel iure meritoque ab his scriptoribus in hac causa repudietur, nullum tamen eiusmodi legi locum, quin vel verba aliter copulanda esse, vel detracti articulii ustam patere viderem excusationem. Placet huius rei, de qua et Emmerlingius in Commentatione vernacule scripta; *Einige Bemerkungen über den Artikel ὁ, ἡ, τό im N. T.*, inserta libro *Analekten u. s. w. von Keil und Tzschirner St.* II. p. 147 sqq. et Winerus in Gr. p. 37 sqq. altum tenuerunt silentium, pauca quaedam exempla ponere. Itaque perperam Fischerus [in Prolus. de vitiis Lexicorum N. T. p. 326.] 2 Petr. 3,

10. κλέπτης ἐν νυκτί arcte iungenda censet, ut dicta sint pro κλέπτης ὁ ἐν νυκτί h. s.: *fur nocturnus.* Quippe incurrit in oculos, si genuinum sit ἐν νυκτί, quod equidem vehementer dubito, esse id potius cum verbo, quod debet cogitando repeti, quam cum κλέπτης componendum h. r.: ἥξει ἡ ἡμέρα κυρίου, ὡς κλέπτης [scil. ἔρχεται] ἐν νυκτί, *veniet domini dies, quemadmodum fur noctu venire solet.* Idem prorsus valet de l., unde ἐν νυκτί huc irrepsisse cum Potto arbitror, I Thess. 5, 2. αὐτοὶ γὰρ ἀκριβῶς οἴδατε, ὅτι ἡ ἡμέρα κυρίου ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ οὕτως ἔρχεται, h. e. — ὅτι ἡ ἡμέρα κυρίου οὕτως ἔρχεται, ὡς [scil. ἔρχεται] κλέπτης ἐν νυκτί. Quare Schottus et Iaspisius suum sibi habeant *furem nocturnum.* Non rectius cum eodem Fischero l. l. I Petr. 2, 9. λαὸς εἰς περιποίησιν, quod scriptum sit pro λαὸς ὁ εἰς περιποίησιν, hanc constituere putes notionem: *acquisitus populus.* Imo locata post λαός virgula vv. εἰς περιποίησιν a verbo ἐτέθητε, quod ducendum est e v. 9, qui a decimo non nisi Colo separandus est, pendebunt, illa autem γένος ἐκλεκτὸν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸς omnia appositionem efficient ad ὑμεῖς h. s.: *Vos autem, dilectum genus, regiorum sacerdotum coetus, gens sancta,* populus, fato estis praestitutum dei peculium, [ὑμεῖς δὲ — — ἐτέθητε εἰς περιποίησιν] *ut eius, qui vos vocavit, virtutes celebretis.* Haec interpretatio vel propterea vulgata est potior habenda, quod inde oritur apta hominum incredulorum et fidem habentium oppositio haec: *Immorigeros et ipse deus lapidi angulari impingere, sed vos, egregiam hominum nationem, suum voluit esse peculium, ut ipsius virtutes* laudibus efferatis. Si cui mirum videatur, homines, quos Petrus compellat, quippe iam nominatos ἔθνος

ἅγιον, nudo insuper λαοῦ ornari nomine, eum reputare volo, verbo λαοῦ plus inesse, quam ἔθνους, cum ἔθνος ἅγιον *sanctorum hominum* sit *multitudo*, sed λαός *populus*. Eodem vero errore saepius prolapsus est Koppius, v. c. Ephes. 6, 24. ἡ χάρις μετὰ πάντων τῶν ἀγαπώντων τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν ἀφθαρσίᾳ, ubi vel perversam Wetstenii opinionem, qui ἐν ἀφθαρσίᾳ cum Χριστόν copulavit h. s.: *Christum immortalem et gloriosum*, vel veram Grotii sententiam, qui ἐν ἀφθαρσίᾳ cum ἀγαπώντων recte consociavit, nobis dedit praeferendi optionem; et Rom. 15, 5. ὁ δὲ θεὸς τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως δῴη ὑμῖν, τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις, utrum κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν ad ἀλλήλους, ut vulgariter dicendum fuerit ἐν ἀλλήλοις τοῖς κατὰ Χρ., an ad verbum τὸ αὐτὸ φρονεῖν pertineat, idem non ausus est decernere. Non levius est Schotti atque Iaspisii vitium, qui Coloss. I, 6. — καὶ ἐπέγνωτε τὴν χάριν τοῦ θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ vv. ἐν ἀληθείᾳ ad τὴν χάριν retulerunt, quasi P. scripsisset τὴν χάριν τ. θ. τὴν ἐν ἀληθείᾳ. Sed merito huic, quae nemini debebat in mentem venire, opinioni verum anteposuit Heinrichsius, se ἐν ἀληθείᾳ cum verbo ἐπέγνωτε coniungi malle professus. His quidem locis, ut multa alia nunc taceam, haec duo sine trepidatione accenseo, Ephes. 2, 15. Coloss. 2, 14., non reformidans V. D. huius aetatis ad defendendam aliam, quae vel grammaticae fundamentum concutiat, vel a grammatica concutiatur ipsa, explicationem consensum et quasi conspirationem. Unanima enim voluntate Ephes. 2, 15. τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας, sic enarrant, ut τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν, τὸν ἐν δόγμασι, καταργήσας non dicere non potuerit P., et Coloss. 2, 14. ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον

τοῖς δόγμασι vv. *τοῖς δόγμασι* ita cum *χειρόγραφον* componunt, quasi verba paullina sic haberent: *ἐξαλ. τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τὸ ἐν τοῖς δόγμασι!* Quem ego locum sic expediendum non singularem cum Winero Gr. p. 65. ipsum dicerem, sed singularem, imo desperatum scriptorem. Sed quam sensit Winerus l. l. striblíginem, eam sapienter antiquitus et Syrus, interpres et Patres graeci removerant eo, quod *τοῖς δόγμασι* ad *ἐξαλείψας* referrent sensu praeclaro hoc: *expunxit syngraphae nobis adversae literas s u i s p l a c i t i s**) h. e. eo, quod in illarum locum sua quasi transscripsit praecepta. Oecumen: *τοῖς δόγμασιν*] *οἷον τῇ εἰς αὐτὸν πίστει. ἀρκεῖ γάρ, φησι, πιστεῦσαι μόνον καὶ τῷ βαπτίσματι ἐξαλείφεται τὸ χειρόγραφον. τοῖς δόγμασιν*] *οἷον διὰ τῶν τῆς εὐσεβείας δογμάτων.* Syrus: ܘܥܛܐ ܒܦܘܩܕܢܘܗܝ ܫܛܪܐ ܕܚܘܒܝܢ Aeque laudabiliter iidem expediverunt l. Ephes. 2, 15. eo, quod *ἐν δόγμασι* ad verbum *καταργήσας* referrent h. s.: *legem praecepta continentem sustulit decretis* h. e. nova praecepta stabiliendo. Sed ut ab his uberiorem disputationem sane non aspernantibus l. ad II Cor. 4, 6. me recipiam, il-

*) Habes igitur hic itidem Dativum, quem Grammatici vocant, instrumentalem (ut sit idem, quod *διὰ τῶν δογμάτων*), qui cum loco II Cor. 9, 14. *καὶ αὐτῶν δεήσει* κ. τ. ἑ. haud dubie insideat, miror id Emmerlingium [Prolegom. p. 27.] velut Graecorum usui incongruum abominatum mirasque casuum permutationes commentum esse. At exemplorum magnus praesto est numerus: lege v. c. Lucian. Hermot. c. I. *ἐπιὼν τῇ μνήμῃ ἕκαστα.* Ei. Tim. §. 8. *διὰ ταῦτα διφθερίας καὶ δικελλίτης μισθοῦ γεωργεῖ μελαγχολῶν τοῖς κακοῖς*, ubi cf. Hemsterhusius. Ei. Amor. c. l. *ἠρέμα τῇ μνήμῃ ἐκκαλέσασθαι*, Interpr. lat.: ut placide illum *memoriae ope* huc evoces.

lud profecto pleniorem illam disceptationem docere arbitror, iniuria v. ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χρ. ita cum vv. τῆς δόξης τοῦ θεοῦ coagmentari, quasi repetitus sit post τοῦ θεοῦ articulus τῆς. Quare haec una relinquitur ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ expediendi ratio, ut haec verba ad praegressa πρὸς φωτισμὸν referamus, haec autem pro πρὸς τὸ φωτίζειν exhibita ab apostolo arbitremur h. s.: (deus lucem in meo animo accendit) *ut illustrem redderem cognitionem splendoris divini in vultu Iesu Christi.* Haec quidem explicatio et virtutem habet praecedentis, et eius reprehensione caret. Nam cum haec sententia: se esse ad doctrinam christianam divinitus institutum, *ut per se eius cognitio ad alios propagaretur homines;* apte et ad superiorem de splendido Mosis vultu [3, 7.] disputationem, et ad proxime praegressa vv. ὅτι ὁ θεὸς – καρδίαις ἡμῶν, quibus suam institutionem cum luce in suo animo accensa comparaverat, sic efferatur, *ut e Dei consilio accepta lux in Christi vultu resplendescere, ut a nemine non conspici possit,* [nam in Christi vultum homines Christiani nullo cooperti velo intuentur cf. 3, 18.] dicatur, haec nostra verborum colligatio non praebet tantum hanc sententiam, sed ita etiam offert, ut articulus a nemine desiderari possit. Cum enim πρὸς φωτισμὸν h. e. πρὸς τὸ φωτίζειν verbi habeat potestatem, recte scriptum πρὸς φωτισμὸν ἐν προσώπῳ Ἰ. Χ. in propatulo est. Illud autem, quod primae vitio vertimus explicationi, nemo, credo, nostrae obiiciet, v. πρὸς φωτισμὸν et ἐν προσώπῳ Ἰ. Χ. nimio spatio diremta videri causatus. Prius enim, nisi fallor, quid illustrari per Paulum Deus voluerit, quae est ἡ γνῶσις τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, quam ubi id lucere constituerit, dici oportuit.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

* Modo in manus venit liber hoc insignitus titulo: *Biblisch-exegetisches Repertorium u. s. w.* Vol. II., in quem praeter alia egregia duas maxime rem grammaticam spectantes dissertationes S. V. Rosenmuellerus recepit; alteram doct. Bornemanni (Addenda et Corrigenda ad Kuinoelii Comment. in Act. Apost. c. XIX sqq.) *praeclaris observationibus refertissimam*, qua obiter perlecta, nos, ubi in eodem argumento versamur, aliquoties amice conspirare laetus animadverti, qualia, nisi forte quid fugitivo oculo se subduxerit, post afferemus omnia: alteram, nec eam malam, Gieseleri (*Beiträge zur Grammatik u. zur grammatischen Interpretation u. s. w.*), qui vir cum saepius fuerit in iisdem mecum dicendi generibus occupatus, neque haec, quin hic annotem, transire est in animo. *

Ad I. p. 8 sqq. Quam proposui verborum *ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα* explicationem, eam etiamnum veram puto. Sed minime ad eam firmandam opus est, ut ad pravam linguaeque graecae repugnantem articuli omissionem confugias, de qua re dixi ad finem Dissert. II. Quin nihil inest verbis insoliti, ut quae tantum minus accurate collocata sint pro *τὸ ἐκ πολλῶν προσώπων εἰς ἡμᾶς χάρισμα*, quod inde apparet recte dictum esse, quia neminem mirum haberent sic constructa verba: *πολλῶν προσώπων* [quod sensu idem est, quod *ἐκ πολλῶν προσώπων*] *τὸ εἰς ἡμ. χάρ.* Locum Sophoclis mihi extorsit summus Hermannus in solemni disputatione sic interpretando: *οὐκ ἔχω φράσαι, ἄξίωμα δαιμόνων μάτην εἶναι.* Exempla e latinis scriptoribus, quamquam similia, propterea pondere carent, quod Latini nullum habent articulum. — p. 11. l. 7. Adde: Eo autem, quod post

ἢ infertur ἢ καὶ, meam disiungendi vim salvam manere rati sententiam vanitatis convinci vix putem: cf. Aristot. de arte poet. c. II, 1. βελτίονας, ἢ χείρονας, ἢ καὶ τοιούτους ἀνάγκη ποιεῖσθαι. Thucyd. VII, 8. ἢ κατὰ τοῦ λέγειν ἀδυνασίαν, ἢ καὶ γνώμης ἐλλιπεῖς γενόμενοι κ. τ. ἑ. Thucyd. VIII, 39. τὰς ναῦς, ἢ αὐτὰς, ἢ πλείους, ἢ καὶ ἐλάσσους ἀποπέμπειν κ. τ. ἑ. — p. 11. l. 13. Adde: Alia eiusdem generis attulerunt Elmslei. in Censura Markland. ed. Iphig. A. [Quaterl. Review N. XIV. [thir ed. 1819.], p. 459. ad v. 508. ταραχή γ' ἀδελφῶν διά τ' ἔρωτα γίγνεται, et Bornemann. l. l, p. 290 sqq. — p. 28. in subiecta nota adde Hermanni, Viri Magnif., praeceptum ad Sophoclis Philoctetam [Lips. 1824.] ad v. 1106, ubi πολιᾶς πόντου θινός legas, cum dicendum proprie esset πολιοῦ πόντου θινός. — p. 34. Quae de verbi semel positi, bis cogitandi ratione, quae me adverterat inter legendum, in nota disserui, eam post non sine gaudio vidi dignam habuisse viros doctiss., quam sui vel ingenii, vel doctrinae luce perfunderent: vide modo S. Hermann. ad Soph. Electr. v. 125. Wyttenbach. ad Eclog. hist. p. 364. 400. Miscellan. phil. II, 2. p. 92. Schaefer. ad Oed. Col. v. 1491. Poppo ad Thucyd. T. I. p. 284. — p. 55. Quae in nota dixi de particula καί, ea causam declarare volui, cur in ibi allatis l. reddenda sit: (atque) *adeo*. — II. p. 13. Mihi imprudenti praeripuit doctiss. Bornemannus l. l. p. 296., quam ingressus sum contra Wahlium de l. Act. 27, 21., disputationem. — II. p. 14 sqq. ad notam: Bornemannus l. l. p. 271., quo sensu Winerus Marc. 4, 29. ad v. ὅταν παραδῷ ὁ καρπός intelligi voluerit vel καιρός, vel θερισμός, se assequi negat. — II. p. 23 sqq. Vulgari de particulis οὐ πᾶς sententiae etiam Gieselerus l. l. p. 133. ita favet, ut eam l. Act. 10, 14. inprimis fulciri opinetur, ubi

οὐδέποτε πᾶν *nichts jemals*(?) *d. i. nie etwas*[?] interpretatur. Sed vide Dissert. nostram II. 32. Deinde οὐ πᾶς interdum *non quemque* declarare observat. Recte, si haec verba proxime cohaerent [cf. D. II. p. 24.], ut Rom. 10, 16. ἀλλ' οὐ πάντες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ, non, si negatio, ut in locis, quae ipse attulit, cum verbo copulanda est. De l. Matth. 7, 21. disserui II. 27. Sed I Cor. 15, 39. sic explica: οὐκ (ἐστὶ) πᾶσα σὰρξ ἡ αὐτὴ σάρξ *non valet* de omni carne, ut sit eiusdem generis caro. Similiter ibid. v. 51. πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα omnes *non* quidem *moriemur*, *sed* mutabimur. — II. p. 29. not. l. 23. Adde, quae attulit Beier. ad Cic. de offic. III. 3, 13. *efficiens utilitatis*. — II. p. 30. l. 9. Adde Scholiastae verba ad Soph. Antig. v. 235. τῆς ἐλπίδος δεδραγμένος. Videndum, ne Scholiastes ad Lucian. Charon §. 17., alias perineptus homo, hic boni quid afferat, ita quidem, ut non sit de Hemsterhusii iudicio corruptus, sed verba sua conflarit ideo, quod in libro suo v. καλουμένους ὑφ' ὧν εἶπον ἀγγέλων legerit omisso ὑπό. Ut latina graecis conferam, reor genitivo ita posito affinem esse Romanorum ablativi usum, ubi exspectes praepos. *a*, vel *ex*, v. c. Plaut. Amphitr. III, 1, 14. Faciam, ut uno fetu, et quod gravida est *viro*, et *me* quod gravida est, pariat sine doloribus. — II. p. 43 sqq. ad notam: Bornemannus quoque l. l. p. 271. vituperavit Kuinoelium, qui Act. 24, 5. εὑρόντες mente adiecto ἐσμέν, pro verbo finito positum arbitratus est. Itaque et in h. l. enarrando nobiscum conspirat [cf. II. p. 44.], et in binis, quae posuerat Winerus in Gr. p. 106. 7. Rom. 5, 11. 2 Cor. 4, 13. Nam 2 Petr. 2, 1. ἀρνούμενοι et ἐπάγοντες minus recte a παρεισάξουσιν suspendit. [cf. Bornemann l. l. p. 273. et nostr. Diss. II. p. 50 sqq.]. —

II. p. 54. not. Recte sane Gieseler. l. l. p. 127. l. Luc. 12, 48. Io. 6, 39. 17, 2. ex attractione explicuit, sed eo erravit, quod p. 128. hoc genus limatorum graecorum elegantiae repugnare putavit. Vide quae diximus II. p. 54. — II. p. 66. Bene Winerus in Gr. p. 46. Matth. 12, 35. articuli additi ad ἀγαθά, demti voci πονηρά rationem perspexisse videtur, modo ne *das Gute* sed *sein Gutes* vertisset. — II. p. 75. l. 21. Adde: Mihi quidem omissi additique in hac causa ἂν hoc obtinere videtur discrimen, ut hac voce non adiecta longe definitior sit ac certior oratio, quemadmodum, ut persimile contendam, Livio, Sallustio et Tacito maxime frequentatum, latine dicendo v. c. ni ille adfuisset, *bona ademta erant*, multo certius loqueris, quam si Coniunctivo utare. Quae si me non fefellit opinio, haud iniuria vocem ἂν e l. Ioa. 8, 39. a Griesbachio eiectam esse facile intelligitur. Recte enim *aequabilitatis cuiusdam in Ioannis scriptis* restituendae spem abiecit Bornemannus l. l. p. 280. — II. p. 84. not. Wineri παρόραμα in forma φάγεσαι et simil. admissum notatum iam video a doctiss. Bornemanno in Ephemer. Lips. 1824. N. 39. Sed tenendum, me supra leniendae invidiae causa multa huiusmodi reticuisse: velut p. 67., ubi alia permutat in ordinem suum redacta iam a Bornemanno p. 251., insigne quid ei habet accusativus in v. ἦσαν σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην, qui sat vulgaris Accusativi usus V. D. ibidem usque eo delusit, ut Col. 1, 9. ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν ab Hebraeorum implendi verbis duplicem accus. adiungentium derivaret more; p. 35. pro ἀποκτάνθη scribendum ἀπεκτάνθην; p. 51. ad ea l., ubi, cum ὅς exspectes, positum reperias οὗτος l. Luc. 7, 12. μονογενὴς τῇ μητρὶ αὐτοῦ καὶ αὕτη χήρα traxit, quasi aut non additum sit καί, aut καὶ ἡ χήρα in tali loco

dici ullo modo vel potuerit! Talia, quae nunc quidem aliis augere non est consilium, quo magis egregii libri splendori officiunt, eo citius equidem radicitus exstirpata mallem. — II. 84. l. 31. adde Matthiae *ausf. Gr.* p. 771. Herodot. I. 19. καὶ αὐτῷ ἔδοξε πέμψαντα τὸν θεὸν ἐπείρεσθαι, περὶ τῆς νούσου. — Ad II. p. 104. Male Gieseler. l. l. p. 152. particulae οὐ *vim prohibendi* tribuit adscripto l. Matth. 6, 5. Quin et hic et ubicunque in Codice hebraico לא cum אל confusum voluerunt, re accuratius pensitata nemo a nostra sententia discesserit. — Ad II. p. 168 sq. de l. Col. 2, 14. Quam sciens obliteraveram *Storrii* de h. l. opinionem, quia, ut multa huius viri, per rationem grammaticae stare nullo pacto poterat, eam praetereundo notare me coegit novum Gieseleri consilium [l. l. p. 135 sqq.]. Etenim cum ille v. τοῖς δόγμασιν ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν perverse iunxisset, non cogitans, cum relativum sic postponi nunquam posse, [de l. Coloss. 4, 16. cf. II, p. 126.] tum τοῖς δόγμασιν necessaria sic oppositione carere, Gieselerus simplicius sibi videri indicavit, hanc ponere verborum continuitatem; τὸ χειρόγραφον τὸ τοῖς δόγμασιν καθ' ἡμῶν ὂν h. e. *syngrapham placitis suis nobis adversantem*; qualis interpretatio ut concidat, praeter ipsum verborum situm intolerabilis articuli τὸ omissio, ac misera, qua l. oneraretur, tautologia [sustulit syngrapham placitis suis nobis adversantem, quae nobis adversabatur] satis superque efficiunt. Nam quae Gieselerus, ut eam tolleret, excogitavit, nihil moror. Quippe legem mosaicam propter divina placita, *quibus satisfaciendum esset*, non propter pecuniam, quae esset ex promisso solvenda, inproprie syngrapham dictam sponte apparebat.

* Plura sane ac passim graviora, quam vellem, me, quantum per oculorum infirmitatem licuit, diligenter notante multumque obnitente postliminio rediere peccata typothetica: quod non mirabitur, qui ingentem operarum, qui terque quaterque commoniti

parere haud raro tergiversantur, norit socordiam. At nobis, qui talia corrigendi molestiam fere detrectemus, praecipua quaedam notasse satis erit, haud veritis, ne quis, quae typothetae sunt, in auctorem trahere animum induoat, vitia. *

I. p. 5. lege [illegible] pro [illegible] ibid. [illegible] pro [illegible] I, 39. l. 33. pr. pralectionem l. praelectionem. I, 51. l. 18. pr. domilinm l. domicilium. I, 58. l. 14. pr. nnnquam l. nunquam. I, 63. pr. [illegible] l. [illegible] II, p. 2. l. 9. not. pro videratur l. videbatur. II, p. 2. l. 16. not. pro confiliis l. consiliis. II, p. 6. l. 21. pro beneficientia l. beneficentia: idem vitium ementa p. sq. l. 30. in v. munificentia et p. 8. l. 11. in v. beneficentiae. II, p. 7. l. 3. pro καὶ με l. καί με. II, p. 7. l. 17. pro e. v. 6. l. e v. 6. II, p. 7. l. 18. pro σῦτω l. οὕτω. II, p. 9. l. 36. pro inciavit l. incitavit. II, p. 12. l. 7. pro sensiset l. sensisset. II, p. 13. l. 2. pro κερδῆσαι l. κερδῆσαι. II, p. 14. l. 35. pro censuevimus l. consuevimus. II, p. 15. l. 28. not. pro deiicere sc. deiicere, et l. 33. pro verba l. verba. II, p. 16. l. 31. pro andeo l. audeo. II, p. 25. l. 26. pro הַשֶּׁמֶשׁ, תַּחַת l. תַּחַת הַשֶּׁמֶשׁ II, p. 27. l. 7. pro opponat l. opponant. II, p. 27, l. 18. not. pro e. v. l. e v. II, p. 27. not. l. 1. pro licnit l. licuit. II, p. 30. l. 35. not. pro Hipol. l. Hippol. II, p. 35. l. 27. pro ἑαυτοὺς l. ἑαυτούς. ibid. l. 29. pro laudes l. laudem II, p. 39. Cum multis districtus negotiis hanc forte plagulam non possem recognoscere, inepta mihi demtis quibusdam verbis obtrusa est nota. Ita enim scripseram: *Etiam has duas formas, συνεῖναι et συνιέναι, ductu suo superioribus simillimas crebro etc.* II, p. 46. l. 6. not. pro μετάιχμιον l. μεταίχμιον. ibid. l. 14. pro qu l. qui. II, p. 54. l. 29. not. pro Vel l. vel. II, p. 55. l. 23. pro cxpromere l. expromere. II, p. 55, l. 31. not. pro [illegible] l. أدم II, p. 56. l. 15. pro porbatum scribendum probatum. II, p. 58. l. 12. pro qnicunque l. quicunque. II, p. 61. l. 8. pro quaerimus l. quaesimus. II, p. 62. l. 11. pro πα-νουργία distingue: παν-ουργία. II, 62. l. 5. not. v. inprimis disiunge: in primis. II, p. 62. l. inf. pro summu l. summus. II, p. 64. l. 16. pro constituatur l. constituatur. II, p. 64. not. l. 1. pro Φησιν l. Φησιν. II, p. 64. l. 16. not. pro ab re l. abire. II, p. 69. l. 16. not. pro opportuue l. opportune. II, p. 86. l. 24. not. pro quorum l. quarum. II. p. 88. l. 36. post v. Namque ipsum μήτε excidit: *docet.* II. p. 90. l. 32. pro καταρᾶσθε scribe καταρᾶσθε. II, p. 96. l. 1. not. pro διδόντις l. διδόντες. II, p. 96. l. 5. not. post ego Ap., excidit: *qui.* II, p. 124. l. 36. pro Eutyphr. scribe Euthyphr. Ceterum hoc vitium saepius recurrit. II, p. 126. pro *), quod est signum notae, exhibui *, qua sigla quae utrinque munita conspicis verba, ea magis per opportunitatem ob finitimam rei naturam, quam per necessitatem interiecta puta. II, p. 131. l. 1. not. pro τῷ: Θεῷ l. τῷ Θεῷ. II, p. 132. l. 35. pro ἐδοθην l. ἐδόθην. II, p. 142. l. 18. not. pro ἐπιγινώσκετε l. ἐπιγινώσκετε. ibid. l. 21. pro admnoitionibus l. admonitionibus. II, p. 157. l. 33. pro κεκακυλμμένον l. κεκαλυμμένον.

INDEX LOCORUM

E LIBRIS DIVINIS FUSIUS ILLUSTRATORUM.

INDEX LATINUS.

INDEX GRAECUS.



